DE JURISPRUDENTIÆ ROMANÆ STUDIO RECTE CONFORMANDO; CITIUSQ. ac faciliús (ſuperatis difficultatibus & impedimentis ejus) docendo, diſcendo, & exercendo:

ITEM

DE TOTO HODIERNO JURE CHRISTIANO-Romano: ejusque libris: & autoribus variis, pro varietate periodorum ac mutationum Imperii, & Imperantium: ubi & de variis generibus Iuris, ſcripti, non ſcripti, Eccleſiaſtici, Politici, antiqui, novi, neceſſarii, præſumti &c; deq; illorum inter ſe generum; quo ad probationis prærogativam; Comparatione, & Allegatione:

DIATRIBÆ TRES:

Ex optimorum ea de re ſcriptorum collatione.

Coronidis vice eſt ORATIO

De privilegiis & honoribus peculiaribus Studioſorum ac Profeſſorum.

JOHAN. CALV. aliâs Kahl/ VVetterani, Iur. Doct. Academ. Heidelb. Profeſ. ſtudio edita:

Editionem ſuadente celeberrimo & clariſſimo ICto, D. N. DIONYSIO GOTHOFREDO &c.

HERBORNÆ NASSOVIORUM

Excudebat Chriſtophorus Corvinus.

cIↃ IↃC.

AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO, DN. GEORGIO MICHAELI LINGELSHEMIO, J. U. D. Clariſſimo, ſupremæ Electoralis Palatinatus Curiæ Conſiliario intimo, Domino ac Patrono plurimúm obſervando.

VASTUM *hodierni Juris Romani ſtudium; Ampliſſime & Conſultiſſime Dn. Lingelshemi, Patrone plurimúm colende; quî rectiús conformari, quî ſolidiús, fundamentis veris recté perceptis, quî faciliús, difficultatibus & obſtaculis remotis, tum doceri, tum addiſci queat; de eo varii varié. Quinam veró inter ceteros, & in quibusnam, elegantiús de eo & accuratiús cenſuerint, ex ſedula ipſorum inter ſeſe collatione, adhibita Dialecticæ Methodi ac Judicii cynoſura, deprehendere licuit, & conſignare libuit. Difficultates variæ, ac fermé cuivis Juridicum iſtud pelagus ingreſſo, nimis obviæ ſunt. Remedia, partim in homine, partim in arte. In homine, tum Naturæ (ſeu Dei potius) munere conceſſa ad tradendas dexteritas, & ad percipien-*

das literas docilitas: tum ſedula docentis pariter ac diſcentis & diligentia, & in propoſito conſtantia: eaq́ non tantùm in doctrina ſeu theoria, ſed in exercitatione quoq́ ſeu praxi, tum ſcholaſtica, tum forenſi: adhibita utrobiq́ aſſidua Numinis divini invocatione. Artis, hoc eſt, Jurisprudentiæ ipſius, ſubſidia, & adverſum difficultates iſtas remedia, ſunt προπαιδεύματα *quædam, eaq́ ceu alæ & ſcalæ, quibus ad inclytam illam inclytæ Themidos arcem & citiùs & tutiùs aſcenditur:* προπαιδεύματα, *inquam, tum cõmunia & generalia, tum ſpecialia, & ipſam Jurisprudentiæ* παιδείαν *attingentia. Communia, ut Dialectica inprimis, deinde Rhetorica, ejusq́ comes Eloquentia. Specialia, vel ipſius* παιδείας *prima & materialia continent principia, vel ejus jam informatæ, & in variis Jurisprudentiæ noſtræ voluminibus deſcriptæ, methodicam & rotundam ſynopſin. Illius generis ſunt, partim Ethica & Politica, Politicorumq́ & Oratorum politica tractantium, ſcripta; partim hiſtoria, tum ſacra, tum profana, præſertim Romana: hujus verò methodica & perſpicua compendia, ex ipſa interiore totius prolixi Corporis Juridici maſſa ſynopticé, hoc eſt, generatim ac ſuccinctè, deciſa, itemq́ methodicè digeſta, & ſic longi in vaſto Juris Oceano conficiendi itineris rectam & compendioſam viam monſtrantia. Cæterùm de modo ac ratione legitima ipſam Juris artem tum accuratè ſecundùm* προπαιδείας *iſtas & normas ſingillatim*

latim conformandi, tum conformatam docendi, diſcendi, & exercendi, infrà ſuis locis pleniùs ediſſerui: tandemq́ aliquid de toto præſente Chriſtiano-Romano Jure; ejusq́ libris; autoribus; ac principiis: quin & de variis generibus juris, ſcripti, non ſcripti, Eccleſiaſtici, politici, antiqui, novi, neceſſarii, præſumti &c: Deq́ illorum inter ſe generum, quo ad probationis prærogativam, Comparatione, & Allegatione &c. (quandoquidem & hoc ad inſtituti hujus mei rationem neceſſarium videbatur) adjeci. Tuo verò Ampliſſimo Nomini, Clariſſime Dn. Lingelshemi, levidenſe hoc opuſculum conſecravi: ut pro eximia illa in me tua, quam ſat expertus ſum, benevolentia, aliquo modo gratum me exhiberem, aut aliquam ſaltem grati animi ſignificationē propalàm oſtenderem. Quod ut æqui boniq́, donec Deus meliora, conſulas, meq́ ac ſtudia mea fideliter tibi commendata habeas, enixè oro. Vale, Mecœnas obſervande, ac bene de me mereri, quod & facis, perge.

Amplit. T.

Addictiſſ.

Johan. Calvin. Acade. Profeſſ.

De JURISPRUDENTIÆ ROMANÆ STUDIO RECTE CONFORMANDO; FACILIUS docendo, diſcendo & exercendo.

TANTA eſt exercitiorum liberalium in quavis doctrina, tum privatorum, tum publicorum, utilitas: tantus, qui ad eorundem exinde cultores uberrimé redundat, fructus; imó verò neceſſitas; ut non minus ſcité quám veré M. ille Cicero ad Trebatium Juriſconſultum univerſim ac generatim aſſeveret: Nullam artem ſine exercitatione vel percipi vel perfici poſſe. Etenim infirma eſt artis (ut Cornificius ad Herennium atteſtatur) in omni diſciplina præceptio, ſine ſumma aſſiduitate exercitationis: quandoquidem uſus frequens, (eodem Cicerone de oratore teſte) omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. Dabitis igitur, Auditores, pro benignitate & æquitate veſtra, ut pridem aliis, ita nunc mihi quoque veniam (atq; ut detis, quæſo) ſi non gloriolæ inanis deſide-

rio, non contendendi animo, non audacioris alicujus confidentiæ ſtimulo, impulſus; ſed & mei, & juvẽtutis exercẽdę ſtudio permotus, conſentientibus in illud ac ſuffragantibus clariſſimis Academiæ & facultatis Juridicę proceribus, in auguſtam hanc Cathedram conſcendã: materiamq; é corpore Juris deſumtam, eamq; & fructuoſam & jucundam, quantâ potero brevitate ac perſpicuitate, excutiam. Sed cúm laudabili more hactenus receptum & uſurpatum ſit, quin & res ipſa propemodum id flagitet, de literis ac diſciplinis illis, quas expoſiturus aliquis ſit, præfari: nihil video nunc potius, nihil prius, quám de Jurisprudentiæ ſtudio generatim aliquid mihi hoc tempore præmittendum eſſe.

Dicam ergo, Deo bene fortunante, principió quidem de pręcipuis Jurisprudentiæ (præſertim Romanę) laudibus & commoditatibus: deinde veró de præcipuis difficultatum, quæ laudes illas, quamtumvis illuſtriſſimas, quadantenus obſcurant, partim cauſis, partim remediis; ut ita nimirum conſtet, quo pacto quis & faciliús, &, ſi fundamenta ſpectes, ſolidiús in Jurisprudentiæ ſtudio proficere queat. Sed de laudib. iſtis conciſiús: de difficultatum cauſis & facilitatis comparandæ remediis, pauló largiús dicam.

Quod dum peragere inſtituo, vos univerſos ac ſingulos, Auditores, quantâ poſſum obſervantia

ſervantia & diligentia, enixé oro, ut me ſolita veſtra benignitate excipere ac breviter de propoſito argumento perorantem benevolo & æquo animo attendere non dedignemini. Dabitur à nobis opera ut res tota, quám fieri poteſt expeditiſſimé, peragatur. Jurisprudētia igitur (utá definitione Celſi l.1. de juſt. & jure exordiamur) eſt ars æqui boni ad politiæ ſcil. felicitatem prudenter ac juſté adminiſtrandi: vel eſt juris ad populi ſalutem ſecundúm juſtitiæ normam prudenter in politia adminiſtrandi ſcientia (ſic enim ſalus populi ſecundúm 12.tab. legem, ſuprema lex eſto.) Jus veró eſt, quicquid prudentia & juſtitia dictante, æquum bonum, hoc eſt honeſtum & utile, ſeu honeſtum ac ſalutare eſt; quicquid juſté & honeſté prodeſt: ſiquidem M. Tullio in officiis teſte, nihil revera utile, quod non idem honeſtum ac juſtum: & viciſſim, nihil revera, ſeu ex veræ prudentiæ præſcripto, juſtum & honeſtum, quod non idem & utile & ſalutare.

Recté namque Socrates execrari ſolebat eos qui primi utilitatem ab honeſtate ſejunxiſſent, & res natura, ac rei veritate conjunctiſſimas opinionibus hominum diſtraxiſſent. (Teſtis Plato in Phedro, & alibi.) Sunt enim ut Theologis Chriſtianis, ſic Philoſophis quoq; ſincerioribus, ut Socrati, ut Platoni, ut Ariſtoteli, ut Ciceroni, res conjunctiſſimæ & indivulſæ, vera

prudentia & juſtitia politica; quandoquidem communis & indivulſus utriusque finis, eſt honeſtas & ſalus populi ſeu politiæ: honeſtas, inquam, & utilitas: atque hæ ipſæ á ſe invicem indivulſæ, ſi modó veræ, & incorruptæ, non autem ſimulatæ ſint. Quó nimirum & Celſus reſpexiſſe videtur, cúm Jurisprudentiam non artem boni, non artem æqui definiret, ſed boni & æqui (id quod priſci una voce æquum-bonũ nuncupabant) quó item & Ulpianus reſpexiſſe, cúm JC[tos] veram & non ſimulatam Philoſophiam, hoc eſt, non Sophiſticam & ob inanes & incertes contemplationum ſubtilitates ac privati cauſidicorum quæſtus cupiditates, Reipub. nec utilẽ, nec fructuoſam; affectare ſcriberet: quippe vetus erat illa Socratis & Platonis querimonia adverſus Pſeudotheoricos inanibus tantũ contemplationibus deditos, itemque adverſus avaros & turpis lucri cupidos, rabulas ac ſophiſtas, utrosq; nimirum honeſtatẽ ab utilitate, ac viciſſim ſegregantes. Quæ ſané disputationes ac querelæ Ulpiano ac veteribus illis Jurisprudentiæ coryphæis ex priſcorum monumentis haud incognitæ eſſe poterant.

Enimveró Jurisprudentia, quæ Ulpiani tempore dicebatur, quæq; nunc dicitur, nihil aliud omnino eſt, quám quæ antiquitus ſemper ad Ciceronis uſque tempora Politica fuerat. Nil, inquam, aliud nunc eſt Jurisprudentia, niſi

plenior

plenior quædam magisq; realis & practica, atq; adeó tanquam dicas exemplaris Politica, certæ nimirum ac ſpeciali politiæ, imperio, vel regno accommodata.

Sed hactenus definitio Jurisprudentiæ, ejusque prima, quibus hæc nititur, principia expoſita ſunt. Unde & objectum ejusdem, itemq; finis ac forma (quibus nimirum principia iſta continentur) facilé pateſcit. Objectum quippe eſt æquum bonum, ſeu jus unicuique politiæ & imperio conveniens: Forma eſt prudentiæ & juſtitiæ civilis, quó ad jus illud ac politiã illam, præſcríptum: ſeu prudentia & juſtitia civilis honeſta & utilia tum imperantibus tum obtemperantibus præſcribens, ac ſuum cuique tribuens: finis denique ſalus populi, ſeu politiæ felicitas: hoc eſt, honeſté ac pié, commodé & tranquillé vivendi proſperitas. Quantæ ſunt ergo politicæ Philoſophiæ laudes & utilitates (quæ ſané & longé plurimæ & longé maximæ atque illuſtriſſimæ ſunt) tantæ profectó Jurisprudentię quoque laudes & utilitates fuerint: quin imó hæ ipſæ adhuc tantó illuſtriores illis, quantó Jurisprudentia magís quám Politica, tum realis eſt, tum practica & actuoſa.

Quamobrem, Auditores, hæc, hæc illa vera eſt, & non ſimulata Philoſophia, de qua Ulpianus l. 1. ff. de juſt. & jure: Jurisprudentia, inquam, Auditores, juſtitię ac prudentię normam

ſecuta, rectéque & legitimé tum deſcripta, tum exculta; eſt illa vera miniméq; fucata vel ſimulata Philoſophia. Hæc, hæc, eſt illa, quæ facit, ut non foveantur duntaxat & nutriantur, adeoq; ut vivant homines, ſed etiam, ut uná congregati ſimul vivant, ſed etiã ut pié & honeſté, tranquillé & pacaté, commodé ac proſperé & vivant, & uná vivant. Hæc eſt illa, quæ politicam hominum inter homines communionem ac ſocietatem tuetur ac firmat: quæq; ad eandem tuendam ac firmandam innumera & ſaluberrima omnis generis bona, tum externa, tum interna, tum corporis, tum animi, tum naturalia, tum induſtriâ & arte parta, procurat: hæc eſt illa, quæ Respub. & Imperia prudenter conſtituit; quæ magiſtratus, principes ac reges pié rectéque inſtruit; quæ bonas leges condit, quæ judicia, curias, ſenatus & conſiſtoria regit ac fulcit, quæ ſcholas & eccleſias, artes ac diſciplinas aperit ac nutrit, quæ moratos omniq; virtute ac eruditione inſtructos cives reddit: hæc eſt illa, quæ ad Respub. conſtituendas, ad gentes, ad familias, ad illuſtres proſapias conciliandas & conſtabiliendas, ad ſcholas liberalium diſciplinarum, artium & artificiorum aperiendas: hæc eſt illa, quæ ad civilem honeſtatem conſervandam, ad communem hujus vitæ ſuſtentationem, ad veram veræ humanitatis libertatem, decorum ac liberalitatem, ad publicam pa-

cam pa-

cam pacem, tranquillitatem ac proſperitatem comparandam & confirmandam varia & neceſſaria omnis generis bona procurat.

Proinde quám laudabile, quám utile, quamque ſalutare eſt, habere politias & reſpub. rectâ & legitimâ imperii formâ prudenter conſtitutas: habere principatus & regna probé fundata ſolidéq; firmata: habere prudentes & clementes, juſtos & fortes reges, magiſtratus ac principes, circumſpectos & æquos provinciarum ac munerum civilium gubernatores; habere bonas leges, judicia, curias, ſenatus & conſiſtoria; habere ſcholas & Eccleſias pié rectéque conſtitutas, omnis generis artes ac diſciplinas, tum Philoſophicas tum mechanicas; habere bonos cives, artifices & opifices; habere prudentes omnibusque virtutibus ac doctrinis præcellentes Eccleſiarum præſules, ſcholarum moderatores, legum conditores & interpretes curiarum, ſenatuum & judiciorum præſides, conſiliarios, & aſſeſſores, amicabiles pacis concordiæq; civilis compoſitores, litium & controverſiarum diremtores: quám laudabile denique, quám utile & ſalutare eſt, habere omnia omnis generis ad iſthæc & ſingula & univerſa pié, decoré ac proſperé tum conſtituenda, tum conſervanda, & amplificanda, rité parta & accumulata bona atque præſidia: tam laudabilis quoque, tam utilis, tam ſalutaris eſt illa veræ & non ſimulatæ

Philoſophiæ, hoc eſt, Jurisprudentiæ diſciplina, rectè exculta: quam non immeritó cum Ariſtotele lib. 1. Ethicorum Nicomachicorum ſcientiarum & artium omnium ἀρχιτεκτονικωτάτω appellaveris.

Videtis, Auditores, auguſtam illam Jurisprudentiæ ac Themidos ſacræ dignitatem vel potius majeſtatem? animadvertitis eximiam ejus jucunditatem? perſpicitis ſummam ejus utilitatem?

Quamobrem eleganter & graviter Ulpianus l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognitionibus, Juris civilis ſapientiam pronunciat eſſe rem ſanctiſſimam, nec ullo precio nummario (ſic enim loquitur) æſtimandam vel dehoneſtandam. Apage ſis ergo, Caligula turpiſſime & iniquiſſime, qui omnem Jurisprudentiæ, omnem ſcientiæ JC^torum^ uſum abolere tentabas (velut hiſtoria teſtatur) qui te effecturum jactabas, ut JC^ti^ propediem nil reſponderent præter Eccum (ſic enim Connanus cap. 15. lib. 1. legendum exiſtimat) præter Eccum, inquam, hoc eſt, Ecce illum, nempe Caligulam, cujus vox atq; voluntas ſublatis legibus, ſublato Jure Civili, exterminatis JC^tis^, abrogatis judiciis, omnibus loco legis ac juris foret. Quantó graviús, quantó æquiús, quantó honorificentiús in Politicis ſuis Ariſtoteles? ubi lex imperat, ait, ibi Deus & ratio imperat: ſed ubi homo, ibi affectus & belua: Quantó etiam graviús

graviús & æquiús M. ille Tullius 2. Philipp. & 1. de legibus? Lex nihil aliud eſt, inquit, niſi recta & ſumma á numine deorum tracta ratio, jubens ea quę faciēda ſunt, ac prohibens contraria. Et 2. offic. leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus unâ & eadem voce loquerentur: Et pro Cæcinna: Nihil eſt in civitate tam diligēter retinendum quám Jus Civile: Etenim hoc ſublato, nihil eſt quare exploratum cuiquam poſſit eſſe, quid ſuum, aut quid alienum ſit: nihil quod æquabile inter omnes atq; unum omnibus eſſe poſſit. Et ibidem pauló póſt: Qui Jus Civile contemnendum putat, is vincula revellit non modó judiciorum, ſed æquitatis etiam & utilitatis, vitæq; communis. Quantó graviús idem quoq; Cicero? quanto æquiús? quantoq; honorificentiús de JC^tis^, 1. de oratore: Domus JC^ti^ (ait) totius eſt oraculum civitatis. Etenim, ut eſt l. 1. ff. de juſt. & jur. meritó quis JC^tos^ ſacerdotes Juris appellet: quandoquidem juſtitiam colunt, boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non ſolúm metu pœnarum, verúm etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes: quandoquidem virtutum pręmia bene merentibus tribui convenit, ut eſt l. 4. C. de ſtatuis: ac pœnarum metu ii, qui ad peccandum proclives, arcendi ſunt, l. 57. C. de Epiſc. & cler.

Quantó graviús? quantó æquiús? quantó

ſapientiús & honorificentiús Divus ille noſter Juſtinianus in Codice ac Novellis plurimis: Princeps, ait, cuſtos ac patronus pietatis, Eccleſiæ & religionis eſſe debet, cuſtos atq; patronus ſcholarum, omniumq; bonarum artium, virtutum ac diſciplinarũ. Princeps cuſtos juſtitiæ, cuſtos legum, cuſtos juris ac judiciorum eſſe debet, l. 35. C. de inoffic. teſtamento, & canone 23. quæſt. 5. cauſa 23. & N. 30. c. 9. Etenim inter homines nihil unquam extitit robuſtius juſtitiâ, vel pulchrius, quódque Deum & Imperatorem ſeu principẽ placare magis & conciliare poſſit, ut in eadem N. dicitur. Nec Lucifer, nec heſperus, ita pulcher, ita clarus, ita ſerenus eſt, ut juſtitia, ait 5. Ethicorum Ariſtoteles. Leges veró Rebuspub. & civitatibus idem præſtant, quod pater liberis: leges divinas & humanas res bene disponunt, omnemq; iniquitatem expellunt, l. 1. §. 1. C. de veter. jur. enucl. Leges decenter ferre & accuraté cuſtodire, ſummum bonum eſt, N. 161. in præfatione. Quám ſalutaria & neceſſaria ſunt morbis medicamenta: tam ſalutaria quoq; & neceſſaria ſunt Jura negotiis humanis, N. 111. in præfatione. Judicia deniq; vera, in quibus præſertim Sacramenta rité & præſtantur & ſervantur, ſunt æquitatis delubra, & tanquam Dei ſacraria, in quibus Deus loco hominum judex eſt cauſarum, l. 2. §. s. C. de jurejuran.

Quamobrem, Auditores, Jurisprudentiæ uſus

uſus non minor inter homines eſt, quàm panis, quàm aquæ, non minor quàm aëris, quàm ſolis? dignitas autem multó etiam præſtantior.

O igitur Jurisprudentia vitæ civilis conſiliaria, omnium actionum magiſtra! Tu urbes ac politias veras peperiſti, partas conſervaſti, legibus muniiſti, morum ac diſciplinæ vinculo colligaſti: tu pacem & concordiam civibus, incrementa civitatibus, honores, dignitates, fortunas & opes tui cultoribus confers: tu vitæ communitatem, hominum inter homines ſocietatem juſtis converſationibus ac domiciliis, juſtis conjugiis, juſtis contractibus & commerciis conglutinas, devincis ac ſuſtentas: tu & Deo gratiſſima & univerſæ Reipub. fructuoſiſſima meritó perhiberis: tuo præſidio & boni ab injuriis propugnantur, & improbi, ne iſtos lædant, coërcentur: tuo beneficio & domi & foris, & in privatis & in publicis negotiis, in arbitriis, in judiciis, in pactis & rebus contrahendis aut transigendis, tum honeſté tum ſecuré verſamur: per te quid noſtrum, quid alienum, quid commune ſit, exploratum habemus: per te patrimonium, hæreditates, fundos, liberos, uxores, adeóq; cuncta, quæ vel noſtra vel nobis chara ſunt, ſtabilia, tuta & inviolata, ſarta tectaq; poſſidemus ac retinemus: per te familias & œconomias, Respub. ac politias, ſolis ac ſolidis legum & judiciorum incorruptorum firmamentis longé,

longeque firmiús, quám innumeris arcibus ac propugnaculis defenſas, munitas, & cuſtoditas tenemus.

Videtis, Auditores, auguſtam illam Jurisprudentiæ dignitatem, vel potius majeſtatem? animadvertitis eximiam ejus jucunditatem? perſpicitis ſummam ejus utilitatem? cognoſcitis infinitam ejus & illuſtriſſimam laudem?

Sed longiús in hac prima inſtitutæ commendationis materia excurrit oratio: Itaq; ad alterum nunc ejus membrum progrediamur, deq; eo ſcholaſticé magis quám Rhetoricé diſpiciamus.

Quanquam igitur, Auditores, tot tantæq;, divæ illius Themidos ac Jurisprudentiæ, præſertim Romanæ, laudes ſunt: tamen eas ipſas, quantumvis illuſtriſſimas, exoſa plerisq; & invidioſa, quam cauſántur, difficultas, haud leviter obſcurare atque obfuſcare videtur: de cujus difficultatis partim cauſis, partim remediis, Auditores, breviter ac tenuiter diſſerentem pro benignitate veſtra ulterius attendatis, etiam atq; etiam quæſo.

Omnis igitur Jurisprudentiæ Romanæ difficultas partim á rebus objectis ortum ducit, partim á Jure ac legibus ipſis, partim denique á perſonis & hominibus incommodiore via & modo, minusq; artificioſé Juris artem conformantibus. E quibus ſané difficultatum cauſis, priores

priores duæ leviores ac tolerabiliores ſunt, tertia verò potiſſima & graviſſima eſt: atque hoc ipſum profectò non artis culpa, non methodi, non Jurisprudentiæ ipſius, ſed artificum & doctorum, qui artem Juris non ſatis artificiosè tractarunt, culpâ.

Sed primùm de rebus. Objecta Juris ac legum, ſunt res agendæ & actiones ipſæ; quibus utriſque cohærent circumſtantiæ: Subſunt autem & artes ac diſciplinæ, earumq; opera & effecta; quin & imperium ac politia ipſa: item varia omnis generis bona, opes ac poſſeſſiones hominum: deque illis omnibus quæſtiones & controverſiæ perpetuæ. Res agendæ verò infinitæ ſunt: actiones infinitæ: circumſtantiæ innumeræ: functiones politicorum munerum ac magiſtratuum admodum variæ: opes ac poſſeſſiones immenſæ: artes multò plurimæ: opera & operationes earum diverſiſſimæ: lites & controverſiæ in horas ſingulas novæ & inuſitatæ.

Quorum omnium, & caſuum præſertim, quæſtionum, controverſiarum ac negociorum ſubinde novorum, vehementer perplexorum, ſingulis propè momentis ingruentium, varietas ac diverſitas (eaq; tanta, ut Pyrrhonii quondam & eorum ſimiles, Ariſtotele in Ethicis teſte, jus non natura & veritate certa, ſed opinione mera conſtare putarint) non parum turbaverit eum, qui artis amplioris accuratè confor-

mandæ ac methodicé deſcribendæ non ſatis peritus & exercitatus fuerit. Rerum itaque & antiquarum multitudo, & ſubinde novarum inventio, & particularium infinita confuſio facit, ut omnes ſpecies, omnesq; incidentes caſus legibus comprehendi haud poſſint, ut eſt leg. 12. ac ſeqq. ff. de legibus. Adhæc varia variarum rerum ſeu mutatio, ſeu abolitio, incertam ſæpenumero reddit legum ſententiam & interpretationem: Sic nummorũ (exempli gratia) mutatio ſæpius facta eſt: unde meritó dubitare poſſis, an id quod in Pandectis l. 7. ff. de juriſdict. item l. penult. & ult. ff. de in jus vocando, aliisque ſimilibus locis de aureis dicitur, de iisne aureis accipi debeat, quibus Romani iſto tempore utebantur, quo leges illæ primum latæ fuerunt, an de iis, qui poſtmodum Juſtiniani ætate in uſu erant, ac ſeſcupló leviores illis; an veró de noſtratibus, qui adhuć leviores ſunt, ut Budæus, & alii demonſtrant.

Inprimis autem magna circumſtantiarum vis atque varietas eſt: adeó quidem, ut crebró lex, quæ generatim ac prudenter lata juſtitiam & æquitatem ſummam cõtinet; certis quibusdam ex circumſtantiis certisq; caſibus injuſta penitus & iniqua deprehendatur: idq; non legis aut legislatoris, ſed diverſitatis rerum ac circumſtantiarum culpâ, velut graviter ac eleganter 5. Ethicorum Nicomachicorum Philoſophus

phus admonuit, & JC^tus^ l. ſi ſervum 91. §. ſequitur. ff. de verb. obligat.

Hactenus de difficultate á Rebus, rerumq; circumſtantiis orta: Nunc de ea quæ á legibus & Jure ipſo dimanat. Hanc proinde fermé, ut & illam, infinitas cauſatur atque immenſitas partim legum, partim librorum ac voluminum, tum quæ ante Imperatoris Juſtiniani tempora fuerunt, & é quibus Tribonianus ac ſocii jura, quibus nunc præcipué utimur, collegerunt: tum quæ contra Juſtiniani voluntatē hoc tam feraci librorum & commentariorum ſeculo nunc denuó evaſerunt. Ad iſtam legum priſcarum infinitatem quondam accedebat cryptica quædam ut ſubtilitas ac brevitas, ita & obſcuritas priſcorum Juris autorum: quæ Tribonianū & collegas haud leviter exercuit: & quarum reliquiæ in noſtro Juris corpore hodieq; adhuc non paucos exercent.

Illam porró difficultatem varia, quæ paulatim hoc potiſſimúm ævo extiterunt & invaluerunt, Juris noſtri genera, admodum fovent ac promovent. Etenim ad Civile iſtud & Juſtinianeum, ingraveſcente Paparum ſeu Pontificum authoritate, ſenſim adhibitum eſt Jus Canonicon: ac porró ad utrunque, Jus gloſſatum: item Feudale: ac tandem alia etiam: eáque varia Juris genera: qualia ſunt ordinationes ac Receſſus Imperii; conſuetudines Imperii; Jura provin-

ciarum particularium Municipalia: communes ac receptæ Doctorum opiniones, conſilia, repetitiones, concluſiones, variarum Rotarum aut Curiarum deciſiones &c. quorum omniũ hodie ratio habenda eſt.

Atque hæc de illa propemodum infinita legum ac librorum multitudine, deque variorum Juris noſtri generum recens tandem exorta diverſitate. De legum namque Jurisprudentiæ Juſtinianeæ mutilatione, contrarietate, tautologica reiteratione & confuſione, mox in tertio cauſarum difficultatis iſtius capite, quæ nimirum á perſonis hanc artem minus artificiosè tractantibus & conformantib. promanat, ac de qua nunc dicendum reſtat, expoſiturus ſum. Ultima ergo difficultatis Jurisprudentiæ Romanę cauſa, eaq; potiſſima & graviſſima, velut ſuprá dixi, in perſonis eſt, & in modo hanc artem tractandi: in perſonis, inquam, præcipué docentium aut doctrinã Juris Romani deſcribentium; quadantenus etiam diſcentium & viam malé præmonſtratam malé ſequentium. De illis præcipué nobis dicendũ: nempe initió quidem de primis Juris Juſtinianei compoſitoribus Triboniano, Theophilo, & aliis glorioſi laboris ſociis: tũ de Juris ab illis compoſiti Doctoribus & Interpretibus; deq; modo componendi, docẽdi & interpretandi, quo illi utuntur.

Itaque Juſtinianus Imperator Romanorum

anno

anno Chriſti circiter quingenteſimo vigeſimo octavo, cúm Juriſprudentiam infinita librorum ac voluminum mole confuſam, & variis atque contrariis de Jure diſputantium opinionibus implicatam atq; oppreſſam jacere perſpexiſſet, heroicâ & præclariſſimâ animi voluntate Juriſprudentiam inſtaurare, emendare, artificiosé conformare & illuſtrare cœpit: ſed in magna rerum ad tantam tantæ molis ac ponderis architectationem neceſſariarum penuria. Uſus enim eſt ad inſtitutū iſtud perficiundum conſilio & opera hominum doctorū ac peritorum quidē, ut tum tempora ferebant: ſed qui ſolidæ eruditionis laude, & in primis Dialectico judicii ac methodi acumine ac dexteritate humaniorumq; artiū & linguarum inſtrumēto ſummé neceſſario magna ex parte deſtituerentur. Quó & illud incommodi acceſſit, quód Tribonianus & compilatores reliqui, cum decenniū minimúm iſti labori pręſcriptum haberent, triennali feſtinatione ac præcipitantiâ effuderunt potiùs corpus Juris tumultuario quodā ſtudio, quám prudenter & artificiosé compoſuerunt: de quo videatur lex unica, §. omni. C. de confirmat. Digeſt. ad hæc contra expreſſum Juſtiniani mandatum multa obſoleta proindeq; inutilia, multa ſuperflua, tautologicé reiteratâ, itemque contraria & captioſa, obſcura etiā & dubia, quin & nimis ſpecialia, in corpore Juris Juſtinianeo

reliquerunt. Porró reſponſa quoq; & conſtitutiones mutilatas ediderunt, ut ſæpe divinandũ ſit, quid Legislator voluerit; cúm interpretatio petenda eſſet ex præcedentibus vel ſequentibus verbis, quæ ipſa vel non extant, vel in locum alium á compoſitoribus rejecta ſunt. Incivile autem eſt (ut ait Celſus in l. incivile 24. D. de legib.) unâ aliquâ particulâ legis propoſitâ, & non totâ lege perſpectâ, judicare vel reſpondere. Sed & verba veterum juris autorum ſæpe immutarunt, ſic ut quandoque Juriſconſulti illi veteres ſibi non videantur ſatis conſtare. Leges denique ſine ullo accuratæ methodi ordine congeſſerunt potius quám digeſſerunt. Atque hæc de compoſitoribus illis.

Doctores & interpretes altero poſtea ſeculo exorti, Bartolus, Baldus, & reliqui, Jus Civile illuſtrare illi quidem voluerunt, ſed in multis obſcurarunt ac difficilius effecerunt; partim quia quæſtionum variarum multitudine, quas paſſim & ſpeciatim tractarunt, nec ad generalia capita revocarunt; item Commentariorum varietate Jus infinitum reddiderunt, idq; omnino contra Juſtiniani voluntatem, §. ſed quia, in procem. Digeſt. & l. 1. §. noſtram, & l. 2. §. hoc autem. C. de veteri jure enucl. Partim veró etiam, quia & hi non minús quám priores ſolidioris eruditionis, hiſtoriæ, Dialectices ac Philoſophiæ, ſeu humaniorum artium ac linguarum præſidio

præſidio deſtituti fuerunt, nullamq; ordinis ac methodi rationem habuerunt, ſed quævis quovis loco tractarunt, utputa quæſtiones de Teſtamentis ſub Titulis de contractibus, ac viciſſim de contractibus, ſub titulis de Teſtamentis: & in pluribus aliis conſimiliter.

Sed hactenus breviter de difficultatum Juris Juſtinianei cauſis. De Feudali & Canonico Jure, deq; aliis hodiernæ Jurisprudentiæ generibus ratio pené eadem in omnibus eſt: de quo nunc pluribus dicere nihil attinet. Itaq; de REMEDIIS adverſus difficultates iſtas adhibendis, & quo pacto quis faciliús, citiús ac ſolidiús in laudatiſſimo Jurisprudētiæ, præſertim Juſtinianeæ, ſtudio proficere poſſit, ſalvo accuratiore alterius cujuscunq; judicio, deinceps pervideamus.

Quæ igitur ad ſolidam ſcientiæ aut artis cujuscunque, ac proinde ad Jurisprudentiæ quoque, cognitionem faciliús ac citiús comparandam deſiderantur, ea vel hominē ipſum, nempe cognoſcentem; vel artem ac Jurisprudentiam ipſam, nempe cognoſcendam, potius concernunt. Cognoſcens autem, ſi tyro ſit artis cognoſcendæ, ſine docente ſeu præceptore, ſolidé cognoſcere ac proficere nequit.

Cæterúm in homine ipſo exoptatur ac flagitatur tum Naturæ quædam ad artem inclinatio & ingenii aptitudo, tum diſciplinæ ac ſtudii diligentia: eaq; non tantúm in doctrina ſeu

theoria, ſed in applicatione quoq; doctrinæ generalis ad ſpeciales crebroſque uſus, in ſpecialibus crebriſq; exemplis, hoc eſt in exercitatione quoq; ſeu praxi: & utraque illa tum in diſcente, tum in docente (ſi tyro docendus ſit) unicé flagitatur & exoptatur: idque adhibitâ utrobique aſſidui numinis divini invocatione: Siquidem per me eſt, ut Sapiens ille Proverb.8. per me eſt, ait, quód reges regnant, & JC[ti] ſeu conſiliarii juſta decernũt. De natura & diligentia, ſeu doctrina generaliũs ſumta, eleganter Tullius pro Archia Poëta: ad virtutes & artes naturã ſæpius, ait, ſine doctrina, quàm doctrinam ſine natura valuiſſe. Et Fabius lib.2. Sicut terræ nullam á natura fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit, é terra veró ſuâ naturâ fertili utile aliquid nullo etiam colente naſcitur: ſic natura ſine doctrina multum valebit: doctrina veró nulla eſſe ſine natura poterit: Nec tamen quiſquam tam vitioſo á natura reperitur ingenio, qui diſciplina & diligentia nihil ſit conſecutus. Doctrina porró á fidis præceptoribus ac ſelectis libris petenda eſt, & á primis elementis ac principiis ad ſumma uſq; faſtigia prudenti ordine ac ratione paulatim educẽdã. Diligẽtiá veró illa tum in doctrina, tum in exercitatione diſcẽtis pariter ac docẽtis cõſtantiã in objecto & propoſito deſiderat. Repudianda namq; illa mollities ac levitas eſt, quæ novarũ perpetuó rerũ cupida,

pida, aſſiduitate unius objecti facilè offenditur: neque enim major ingeniorum peſtis eſt, Weſenbecio teſte, quám nolle uni curæ ac meditationi inhæreſcere, & cogitationes vagas atque á propoſito alienas cohibere. Et rectè Seneca, in doctrinis, earumq; præſertim rudimentis, neceſſarium eſſe monuit, ut non multa ſed multum legatur. Verùm hæc de primis illis & communiſſimis in homine ipſo inſtrumentis ac mediis: quæ nimirum aſſiduè ſunt ad omnē ſcientiam & artem, omnemq; ſcientiæ & artis partem ac præceptionem cognoſcendam adhibenda.

Nunc porrò de iis, quæ ad ipſam artem, hoc eſt pro noſtro quidem inſtituto, ad ipſam Juriſprudentiam faciliùs ac ſolidiùs comparandam deſiderantur. Hæc partim ſunt προπαιδεῖαι quædam ac præparationes neceſſariæ in neceſſariis ipſius παιδείας, hoc eſt Juriſprudentiæ, perfectè cognoſcendæ & tractandæ principiis ac fundamentis præmiſſæ ac præcognitæ: partim modus & ratio legitima tum accuratè ſecundùm eaſdem illas ſpeciatim ac ſigillatim conformandi artem Juris, tum conformatam cognoſcendi atq; tractandi.

Principió igitur, ut in majoribus & gravioribus ædificiis; ſic in amplioribus ac ſuperioribus artificiis ac diſciplinis, in eam ante omnia curam ſeduló incumbendum eſt, quomodo pri-

ma futuri, ut ædificii, ſic artificii, principia, fulcra & fundamēta; quibus videlicet omnis poſtea totius gravioris operis moles ac pondus perpetuó firmiter innitatur atque inſiſtat, ut illa (inquam) principia & fundamenta ſólidé atque immoté ponantur: Cæteroquin enim, quicquid ſuperſtruxeris, id aut ſtatim aut paulatim corruet. Proinde qui Jurisprudentiam recté ac prudēter conformare ac deſcribere, conformatamq; ſolidé ac facilé cognoſcere & tractare cupiunt: his ante omnia in illud unicé incumbendum & elaborandum eſt, ut prima iſtius ſtudii principia, fulcra, & fundamenta; é quibus nimirum Jurisprudentia tota, tum oritur, tum fundatur, conſtat & nititur; prudenter & accuraté collocent: adeóq; ſubſidiaria quarundam pręcognita neceſſariarum diſciplinarum προπαιδεύματα quædam anté percipiant & præcognoſcant, quám ad ipſam Divæ Themidos arcem ac penetralia contendant. Etenim principia ac fundamenta illa niſi ſatis firma fuerint, plenum poſtea & amplum illud Jurisprudentiæ ædificium, quod iis inædificandū, commodé & conſtanter ſuſtinere haud poterunt.

Videtis, auditores, quantopere ſtudioſorum artis aut facultatis cujuscunque interſit, quantopere Jurisprudentiæ inprimis ſtudioſorum interſit, probé jacere fundamenta, & accuraté fundare ſtudiorum ſuorum principia. Illa veró Juris-

Jurisprudentiæ προπαιδεύματα ut in aliis amplioribus ac prolixioribus facultatibus; ſic & in vaſto illo Juris Romani Oceano; partim generalia & remotiora ſunt, quippe communia quædã materiæ rerum ac verborum tum quærendæ, tum tractandę inſtrumenta; partim ſpecialia & propinquiora, materiamq; ipſam ſubminiſtrantia, vel ſubſtantiam ipſam attingentia, & ſubſtantiam quidem rurſus aut quoad materiã in genere, aut quoad formam materiæ unitam, h.e. quoad eſſentiam Juris ipſam quadantenus in ſpecie. Quanquam igitur, quotquot in hoc pelago feliciter navigare, atque ad portum pervenire contendunt, mediocri Philoſophiæ totius cognitione inſtructi eſſe debent: quoniam Philoſophia generaliſſimé de omni Jure diſſerit; ſpecies autem ſine intellecto genere intelligi ſatis non poſſunt: tamen generalibus illis ac ſpecialibus, quæ diximus, principiis ac propædeumatis præcipué inſtructi, ac mediocriter imbuti eſſe debent.

Generalia veró illa & remotiora propædeumata ſunt Dialectica & Rhetorica, ſed inprimis Dialectica, velut eleganter M. Cicero in Bruto: Sic enim (ait) exiſtimo, Juris Civilis magnum uſum & apud Scævolam & apud multos fuiſſe, artem in hoc uno (Servio Sulpitio) quod nunquam effeciſſet ipſius Juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem tri-

buere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primúm videre, deinde diſtinguere, poſtremò habere regulam qua vera & falſa dijudicarentur, & quæ quidem propoſitis eſſent, quæq; non eſſent, conſequentia. Et lib. 1. de orator. Si enim (inquit) aut mihi facere licuerit, quod jam diu cogito, aut alius quiſpiam vel me impedito id occupârit, vel mortuo effecerit, ut primúm omne Jus Civile in genera digerat (nempe generaliſſima) quæ perpauca ſunt, deinde generũ illorum quaſi membra quędam dispertiat, tum propriam cujusque vim definitione declaret (quæ ſingula nimirum Dialecticæ munera ſunt) perfectam artem Juris Civilis habebitis, magisq; magnam & uberem, quám difficilem & obſcuram; præſertim ſi juſta methodus accedat, quam Tullius in modó dictis non obſcuré quoque flagitat.

Dialectica igitur eſt illa, quæ in omnes ſapientiæ partes latiſſimé manat & diffunditur, ac non modó finem cujusque artis proſpicit, ſed etiam media ad finem recté ducentia ſine errore inquirit atque oſtendit. Hæc eſt illa, ſine qua nil recté explicari, nil recté definiri, dividi, nil recté diſputari ac dijudicari poteſt: nil (inquam) nec de juſtitiâ, nec de Jure, nec de moribus & actionibus, earumque circumſtantiis, variisque ac diverſiſſimis ſubinde novis incidentibus

dentibus Juris, actionum, & circumſtantiarum, caſibus & quæſtionibus: nec de Imperio, de Rep. de legibus, & conſtitutionibus Imperii, deque infinitis negotiis diſputari rectè & explicari poteſt: nihil etiam in caſibus non expreſſis propter ſimilitudinem & rationis ἀναλογίαν ad veram conſequentiam ritè produci. Hæc deniq; eſt illa, ſine qua nulla ratio firma, nulla probatio ſolida eſſe, ſine quâ nihil ordinari, nihil accuratè diſponi poteſt: adeóque ſine qua omnia confuſa & perplexa jacent. Hæc eſt illa, ſine qua nemo magnus unquam in ulla ſublimiori diſciplina, nedum in Jurisprudentia, evaſit.

Rhetorica porró & ejus comes Eloquentia, quám utilis, quamque fructuoſa futuro Jureconſulto, futuro politico, futuro practico, & ſit & ſemper exiſtimata fuerit, pleniús hoc loco percenſere brevitatis ergó ſuperſedeo.

Hactenus ergo generalia illa & remotiora Jurisprudentiæ propædeumata: Specialia & propinquiora vel ſubſtantiæ artis ipſius quo ad generaliorem materiam præparatoria ſunt, vel ex ipſa interiore totius prolixi corporis maſſa ſive ſubſtantia ſynopticé (ut ſic dicam) hoc eſt, generatim ac ſuccinctè deciſa, itemq; methodicé digeſta, & longi in vaſto Juris Oceano conficiendi itineris rectam ac compendioſam viam monſtrantia. Prioris generis ſunt partim Ethica & politica, partim hiſtoria Romana: poſterioris

veró ſunt methodica & ſynoptica Jurisprudentiæ Romanæ compendia. Ethica veró & Politica primos & intimos fontes, prima, veriſſima & intima principia, demonſtrationes, ac fundamenta juſtitiæ & Jurisprudentiæ, legum, æquitatis, ac judiciorum, Rerumpub. & Imperiorum, continent ac tradunt; rationem rectam, rectæq; rationis prudentiam exponunt, legem naturæ ſeu conſcientię exponunt, utriusq; illius normas ac regulas tradunt, discrimen honeſti & turpis oſtendunt, præmia honeſté viventibus decernunt, pœnas turpiter agentibus conſtituunt. Ethica eſt vitæ ac morum honeſtorum norma, virtutum magiſtra, actionum laudabilium regula, quæ morbos animi dispellere, affectus ſedare, libidines & appetitus domare, rationem ac voluntatem prudenter regere, vitam totam ſecundúm rationis rectæ, virtutisq; & legis conſcientiæ normam conformare docet.

Politica veró ſocietatū & communionum humanarum varia genera recté diſtinguit & inſtruit: omnia omnium hominum ſtudia liberalia & officia honeſta complectitur ac moderatur, beatitudinem ac proſperitatē tum œconomicam, tum politicam, per varia omnis generis tum corporis tum animi, tum vitę ſeu fortunæ, tum publica tum privata bona, quæ commonſtrat & ſuppeditat, perſequitur, & in quonam felicitas practica, politica præſertim & œcono-

œconomica potiſſimúm conſiſtat, comparetur, & conſervetur, oſtendit. Præcipué veró genera Imperiorum & Rerumpubl. diſtinguit, quæq; jura, quæ leges & judicia, quæ magiſtratuum, jurisdictionum, munerum civilium, præmiorum ac pœnarum genera, ad hanc vel illam Reipub. atq; Imperii formam, atq; hoc ipſum quibus de cauſis & quibus rationibus, congruant, item quæ initia in illis, qui progreſſus & incrementa, quæ converſiones ac mutationes accidant, oſtendit. Hæc igitur ſunt Juris ac Juſtitiæ, hæc ſocietatis humanæ, hæc Reipubl. hæc Imperiorum & magiſtratuum, judiciorum & ſenatuum prima & veriſſima principia ac fundamenta, hæc proſperitatis & ſalutis politicæ certiſſima & commodiſſima incunabula; hæc Jurisprudentiæ Romanæ fulcra. Ad ſummam, Jurisprudentiæ (ne longior ſim in re manifeſtâ) tantum confert politica, eiq; tam cognata eſt & homogenea, ut Jurisprudentia generatim ſumta, reverâ nil aliud eſſe videatur quám ea quæ antiquitus non Jurisprudentia ſed Politica dicebatur: aut certé nil aliud quám plenior quædā magisq; practica & realis, adeóq; tanquam dicas exemplaris politica.

Hiſtoria denique tum univerſalis, tum præſertim particularis, tum profana; tum præſertim ſacroſancta & Biblica, Jurisprudentiæ ſæpenumero tantam lucem affert, quantam ferme ſol

diei. Nec mirum. Etenim hiſtoria (ut apud Cic. inquit Antonius) teſtis temporum eſt,lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis; ſine illius ergo luce cæcum eſſe Juriſprudentiæ ſtudium, res ipſa clamat. Ad Juriſprudentiam ergo Romanam Hiſtoria Romana (cum qua tamen aliarum quoque gentium Hiſtoriæ conferri poſſunt) nō jucunda tantùm, nō fructuoſa tantū,ſed ſæpe neceſſaria eſt: hiſtoria,inquam,Juris, Imperii,ac politiæ Romanæ: neq; enim nunc res aliæ,quàm quæ ad Jus,Imperium,ac politiàm pertinent,ſpectantur. Hæc igitur ea eſt,quæ negotiorum in Repub. occaſiones,&cauſas proximàs,variasq́; omnis generis circumſtantias, enarrat, & inprimis quid juris de illis ipſis Philoſophia, præſertim Ethica & Politica, duce, prudentia & legis naturæ juſtitia comite, vel potius conſiliaria ac magiſtra, ſancitum & ſtatutum ſit, commemorat.

Hæc ergo nobis tum de aliarum gentium & civitatum, maximé veró præſtantiſſimarum, moribus, inſtitutis, legibus, judiciis,& Rebuspublicis, tum præſertim de populi Romani ortu, jure, conſuetudine, inſtitutis, deq́; Repub. & Imperii generibus, rectiſſimé nos informaverit. Ita namque ſcire intereſt, quod genus imperii ſingulis temporibus in Republ. Romana fuerit,quæ leges. quę Jura ad hoc conſervandum ſancita, item quæ domi ac foris ratione illius

lius imperii & ex præſcripto iſtarum legum geſta ſint: interfuerit, inquam, iſtud ſcire, quandoquidem Jura Imperio, Imperium Reip. Reſpub. ſaluti & incolumitati hominum deſervit: ac verum, ſané Imperii robur in Jure ac legibus ſalutaribus fundatum exiſtit & ſubſiſtit. Ex hiſtoria ergo Romana cognoſcendum, quemadmodum ex populari ſtatu primus Cæſar Julius imperium Romanum ad ſpeciem quandam Regni revocaverit: ſic tamen ut Senatui & Conſulibus ſua quædam autoritas incolumis maneret; deinde quemadmodum Conſtantinus imperium illud ex Italia in Græciam & Thraciam, ut puta Româ Conſtantinopolin, quam videlicet novam Romam nuncupabat, transtulerit: ac tandem, quemadmodum Juſtinianus ex omni ſuperiore Jure hoc Jus Juſtinianeum, quo nunc utimur, compoſuerit: item quemadmodum ampliſſimū iſtud imperium poſtea diviſum fuerit, ac pars una iſthic in oriente Mundi plaga manſerit, altera veró huc in occidentem translata, & Carolo Magno in Europa conceſſa fuerit: itemq; quomodo illud paulatim magis magisque & Chriſtiano-Romanum & Germanico-Romanum eſſe cœperit: adhæc quemadmodum hoc occidentis imperium, quantumvis inter Caroli Magni tres liberos ejusq; ſucceſſores alios rurſum diviſum, nihilominus tamen commune manſerit: item quemadmo-

dum illud ipſum communi illo Romano Juſtinianeo Jure paulatim iterum colligatum & inter ſe quaſi coagmentatum,& paulatim inſuper Pontificali quoque accedente Jure amplificatum fuerit:cognoſcendum etiam,quemadmodum tandem ſumma illius Imperii ferme penitus ad Germanos revocata ſit: item quemadmodum hoc ipſum Imperium admirabili Juris ac juſtitiæ contemperatione in Germania conſtitutum,ſic nimirum,ut non unius, non optimatum,non populi proprium, ſed omnium ac ſingulorum,adeoq; multorum in Imperio Statuum, ſub uno tamen Imperatore,& uno Principum Electorum ſenatu, commune ſit,idq; etiamnũ hodie:cognoſcendum denique,quemadmodum ad tuendum hoc Imperium & civium Germanico-Romanorum incolumitatem & ſalutem ab Imperatoribus,præſertim in comitiis Imperii,deinceps alia atque alia conſtituta & ordinata fuerint. Atque hîc hiſtoricé quoque diſtinguendum, quæ communia cum aliis populis,quę propria,item quæ vetera,quæ nova & præſentia in iſto Jure, legibus & inſtitutis & in iſtis Imperiorum generibus, præſertim autem in hoc noſtro fuerint. Dici namque haud poteſt, quantum lucis ad Jus & Jurisprudentiam recté cognoſcendam diligens illa hiſtoriarum diſtinctio attulerit. Neque noſtra tam intereſt ſcire, quæ bella vel quondam vel nuper geſta

fuerint,

fuerint, quot millia ceciderint, & alia iſtius generis plurima, quám ſcire quomodo Imperium noſtrum, h.e. Romanum ac præſertim Germanico-Romanum conſtitutum, & quibus legibus, jure, atq; judiciis adminiſtratum & conſervatum fuerit. Etenim ſine hac Reipub. noſtræ hiſtoria nos, quantumvis domi ſimus, peregrini tamen, Cicerone teſte, videri poſſumus.

Videtis, Auditores, quantum lucis Jurisprudentiæ noſtræ mediocris Philoſophiæ & hiſtoriæ cognitio afferat? Videtis, quantum emolumenti & quantum ſubſidii afferat humaniorum literarum ac linguarum cognitio? ut vel unica lex, Lecta, D. de rebus credit. (ut plurimas alias taceam) teſtis eſt, ut puta quam Accurſius cæterique interpretes intelligere non potuerunt, donec Hermolaus Barbarus & Guilielmus Budæus ex bonis linguæ latinæ autoribus docuiſſent, quid ſit uſura centeſima. Ex iſtis Philoſophiæ & hiſtoriæ principiis veteres Græciæ & aliarum gentium legislatores, cum nullæ adhuc Respub. accuraté conſtitutæ, nulla Jura & leges recté ſancitæ eſſent, & Respubl. conſtituerunt, & leges tulerunt, & eas, ſi res ita ferret, emendarunt, & alias atque alias quandoque ſurrogarunt, mores etiam & cõſuetudines cum civium aſſenſu induxerunt. Iſtis Philoſophiæ & hiſtoriarum principiis imbuti, & Juris juſtitiæque ſtudiis exculti Papinianus, Ulpianus, Paulus

ad tantum eruditionis,& in Republ. dignitatis culmen elevati fuerunt, ut edictum etiam perpetuum ab Hadriano Imperatore compoſitum interpretarentur, reſponſa darent, controverſum Jus disputarent, quippe cum Græcam anteá Philoſophiam didiciſſent, & ſic ad Græco-Romanam Remp. acceſſiſſent. Iſtis etiã Philoſophiæ & hiſtoriarum initiis quibusdam inſtructi (utinam veró accuraté informati) Tribonianus, Theophilus, & alii, qui in proœmiis celebrantur, ad tantam Juris ſcientiam pervenerunt, ut Jus tam varium varieq; diſperſum in artis formam aliquam redigerent. Vix enim iſtud, ac ne vix quidem ſine aliqua Philoſophiæ ac methodi Logicæ cognitione fieri potuiſſet.

Atque hinc ſané, quám prudenter Plato beatas eas judicaverit Resp. quibus vel Philoſophi præeſſent, vel qui præſint, multum in Philoſophia ſtudii collocaſſent, intelligi licet: de quo ipſo præclaré in Epiſtola ad Q. Fratrem M. Cicero. Proinde quemadmodum idem Plato Arithmeticam & Geometriam duas eſſe alas ſtatuebat, quarum velut remigio ad Aſtrologię & cæleſtium corporum, totiusq; univerſi cognitionem homines evehantur: Ita ex humanioribus diſciplinis tum Dialectica & Rhetorica, tum Philoſophia practica, & Hiſtoria, ſunt neceſſaria Juris tyroni adminicula, quibus in arcem prudentiæ civilis feliciter & auſpicató perveniat.

veniat. Unde mirum non eſt, ſi Jurisprudentię Romanæ tyrones, qui iſta humaniorum literarum ac linguarum principia negligunt, de vero in iſtius ſtudii genere progreſſu, deq́; ſolida ejus cognitione periclitantur: adeoq́; ex multis ſublimiorum ſeu in theoriâ ſeu in praxi cauſarum, & ſubtiliorum caſuum quæſtionibus (quippe principiis & fundamentis iſtis deſtituti) ſeſe extricare non valent. Sed de his forſan aliâs pleniús.

Ex Jurisprudentiæ Romanæ ſupra diſtinctis propædeumatis & fundamentis iſtis, ſubſtantialis προπαιδεία nobis ſupereſt. Hæc, ut in aliis παιδείαις & facultatibus diſciplinarum liberalium: ita & hîc ex ipſo Jurisprudentiæ corpore delibari; ac per ſynopſin generalium & præcipuorum Juris capitum breviſſimam methodicé tyronibus proponi debet: & in primis methodicé: idq́; principio quidem tantúm διδασκαλικῶς ac ſine velitatione disputationum ſyllogiſticâ: & hoc primúm in Jure Civili, deinde paulatim etiam in Jure Canonico: ac tãdem poſt Civile illud & Canonicum ſatis deguſtatum, in hodierno etiam per gloſſas, disputationes, commentationes, ac deciſiones, item ordinationes ac receſſus Imperii, hoc ſeculo multum amplificato Jure practico: idq́; paulatim etiam ἐλεγκτικῶς, & adhibitâ velitatione disputationum ſyllogiſticâ, & exercitatione practicâ in ſingulis iſtis.

Quorum certé compendiorũ ac συνόψεων methodicarum & ſuccinctarum maxima utilitas eſt. Cúm enim immenſus rerum & cauſarum, Jurisprudentiæ ſubjectarum campus ac ſumma varietas, imó infinitas quædam ſit, ingenium autem & judicium in iſta varietate atq; infinitate in tyronibus infirmum, memoria veró hominum valde labilis: nihil pulchrius eſt, nihil utilius, nihil potius, quám infinitatem ac varietatem iſtam ad certa & ſuccincta rerum capita pro tyronum captu revocare, latiſſimé diſperſa in unum cogere, ac ſub unum quaſi intuitum referre: hoc eſt, generalem quandam, ſuccinctã, perſpicuam, & methodicam Jurisprudentiæ σύνοψιν incipiẽtibus ſubminiſtrare. Tales enim, h. e. accuratæ & methodicæ præcipuarum capitum ſynopſes intelligentiã & ingenium valde oblectant & promovent, judicium explicatum, promtum, ac diſtinctum reddunt, memoriam veró inprimis juvant & corroborant, ac tyronibus compendioſam in longiſſimis iſtis Oceani Juridici peregrinationibus demonſtrant. Quę ſané ſynopſis ac methodus ſynoptica, poſtmodum etiam ad altiora & prolixiora Juris capita contendentes plurimum juvabit; ne ſcil. á recta via in avia & devia aberrent, ne ab uno rerum genere & familia in aliud exorbitent, juſtumq; rerum ac ſtudiorum ſuorum ordinem interturbent. In hoc itaque primo ſtudii hujus veſtibu-

veſtibulo, brevitati, ordini, ac perſpicuitati unicé ſtudendum eſt, nec teneri tyronum animi arduis ac ſuperfluis quæſtionibus & opinionibus torquendi ſunt, velut Juſtinianus ipſe in Inſtitutionum ſuarum prooemio monet.

Atque hactenus de Propædeumatis, præparationibus, ac ſubſidiis Jurisprudentiç Romanæ perfecté tum conformandæ, tum cognoſcendæ, & tractandę neceſſariis. Nunc porró de modo & ratione legitima ipſam Juris artem tum accuraté ſecundúm easdem illas προπαιδείας ac normas ſpeciatim ac ſigillatim conformandi, tum conformatam cognoſcendi atque tractandi.

Conformatio igitur illa, qua ſtudium illud ampliſſimum ad accuratiorem artis formam redigitur, eſt tum præceptorum, tum diſpoſitionis methodicæ. Præcepta ſunt de rebus Jurisprudentiæ ſubjectis, h.e. de Jure & legibus ipſis, itemq; de negotiis ac rebus Jure informatis. Quæ præcepta verbis ſeu phraſi ac ſtylo deſcribuntur. Proinde conſideranda hîc veniunt partim leges & res ipſæ, partim verba & præcepta, partim methodus præcepta varia ordine accurato diſponens. Quæ omnia recté conformare, & poſtea conformata eodem illo methodico ordine probé ſervato tyronem & facilé & accuraté docere atque exercere, non eſt diſcipuli, ſed fidi præceptoris ac dextri cujusdam Mercurii:

diſcipuli veró partes ſunt, eidem gnaviter obſecundare, ſuamq; diligentiam, obedientiam & conſtantiam ſeduló probare. Principio igitur quod ad res attinet, præceptis deſcribenda & in artem referenda ſunt ea, quæ & uſitata atq; utilia, & perpetua, diuq; duratura & homogenea ſunt, hoc eſt, quæ uſum & utilitatem aliquam habent & conſtanter aliquandiu ſaltem permanent (ne ſingulis diebus aut menſibus novis ſanctionibus & pręceptionibus opus ſit.) Omitti ergo debent quę vel inuſitata, vel inutilia, vel fluxa & caduca, vel heterogenea & ab inſtituto aliena ſunt: ne videlicet illud Senecæ in nos quadret; Neceſſaria ignoramus, quia non neceſſaria didicimus: id quod eleganter veteri verſiculo exprèſſum eſt:

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκποιούμεθα.

Leges porró, ſecundúm Juſtiniani in prooemiis operum ſuorum & in C. de vet. jur. enucl. mandatum atq; præſcriptum ſerium, tales eſſe & in artem referri debent, quæ perſpicuæ ſint & integræ, non autem mutilatæ vel nimis interpolatæ: proinde in quibus nec deſit quicquam nec redundet: ac porró tales, in quibus nulla obſoleta vel abrogata, nulla inutilia & inuſitata, nulla ſuperflua vel tautologicé reiterata, nulla obſcura & dubia vel captioſa, nulla inordinata & confuſa, denique nullæ antinomiæ & contraria deprehendantur. Quo-

Quomodo autem mutilatio legum vel interpolatio earundem reſtituenda, & quomodo antinomiæ conciliandæ, de his doctiſſimorum hominum, quæ extant, conſilia ſuo tempore & loco exquirenda ſunt. Faciliores autem & utiliores uſuque hodierno potiores materiæ & leges ſemper priús conformandæ, docendæ ac diſcendæ fuerint: ac poſtea paulatim minus uſitatæ, ac tandem ὡς ἐν παρόδῳ ſteriles, obſoletæ & inuſitatæ, ſi quis omnino tales etiam explorare voluerit. Atque hæc breviter de rebus & legibus. Phraſis verborũ ac ſtylus placet non difficilis aut agreſtis, non ſublimis & exquiſitus, non obſcurus: ſed facilis, planus, familiaris, dilucidus. Præcepta arti Dialecticæ conformia & conſentanea, h.e. univerſalia, quantum fieri poteſt, certa omnino & vera, brevia, perſpicua, homogenea & cujusque loci propria deſiderantur, & quæ non alias aut leges, aut res, aut verba ſeu phraſes contineant ac deſcribant, quám eas ipſas quas pauló anté expreſſimus. Atque hîc definitionum & diviſionum in primis magna ducenda ratio eſt, ut eæ nimirum, quantum fieri poteſt, accuratæ, & Logicis definiendi ac dividendi legibus plané conſentaneæ ſint: quandoquidẽ ſæpenúmeró in Jure & doctoribus definitiones occurrunt, quæ aut nullum genus, aut non verum aut remotiſſimum continent: itemq; aut nullã, aut non veram, aut non proxi-

mam ac ſpecificam formam ſeu differentiam: Crebriús enim differentiæ ſeu formæ loco adhibetur id, quod vix leviter disſimile aut diverſum eſt: neque enim ſimpliciter verum eſt, ut eleganter Weſembecius, omnem in Jure definitionem periculoſam & infirmam eſſe, tametſi caſus aliqui emergere poſſint, in quibus ob circumſtantias probabiles ſubvertatur.

Ac ſané ex falſo genere, & falſa differentiâ, ex falſa definitione aut diviſione, non niſi plurimæ abſurditates ſequuntur, ac ſæpius in totum Jus diſperguntur. In diviſionibus itaque cavendum, ne membrum aliquod vel deſit vel ſuperſit, item ut partes & ſpecies cum toto ac genere ſuo amicé conſentiant, ipſæ veró inter ſeſe partes ac ſpecies plurimúm ac formaliter discrepent.

Atque hæc de præceptis; methodus ſupereſt: qua, Xenophonte teſte, hominibus (literarum ſtudiis præcipué deditis) nil quidquam vel utilius eſt vel pulchrius. Ea veró in diſciplinis conformandis talis equidem eſſe debet (quemadmodum eleganter Weſembecius in Inſtitutionibus) ut á communioribus & generalioribus præceptis, quæ nimirum notiora & faciliora ſunt, pedetentim ad penitiores cujusque artis receſſus progrediamur: generalia namque ſunt ſimpliciora, ſunt item breviora, ſunt deniq; faciliora. Ac ſpecies certé ſine præcognitis generibus

neribus ſuis nunquam rectè intelliguntur: ſiquidē genera cauſas & principia ſpecierum ſuarum in ſe continent. Cum ergo generalia & ſimplicia theoremata ſive præcepta velut tota quædam ſeu integra, in ſeſe complectantur ſpecialia tanquam membra vel partes ſui aliquas: hinc ſanè eſt, ut generalibus rectè præcognitis ſpecialia ſimul aliquatenus intelligantur, etiam antè quám ad hæc ipſa nominatim ac particulatim deventum eſt. Unde poſteá fieri non poteſt, quin, ſi hæc á generalioribus ac notioribus ad ſpecialiora & ignotiora methodus dextrè obſervetur, nec per ὕστερον πρότερον prima mediis, ac media imis miſceantur; quin, inquam, res tota luculentiſſima evadat atque facillima.

E contrario autem fieri non poteſt, quin, ſi methodus illa negligatur & conturbetur, ſurſum deorſum, horſum illorſum pleræque Juris homogeneę adeóque cohærentes & affines materiæ neceſſarió diſtrahantur & in alienam familiam traducantur; adeoq; velut membra á ſuo corpore miſeré diſcerpta & varias in oras variè disjecta videantur. Unde poſtea fieri non poteſt, quin res tota & obſcura, & perplexa & difficillima evadat. Id quod Imperator quoque Juſtinianus monere voluit, cúm in procemio Inſtitutionum primó levi ac ſimplici via, poſteá veró diligenti & exactâ interpretatione ſingula tradenda eſſe monet, ne ſcilicet alioqui

difficùltas inſtitutionis tam numeroſæ & perplexæ in animis diſcentium vel diffidentiam vel deſperationem aliquam pariat: néve etiam vel prudentia & judicium diſcentis confuſione, vel memoria multitudine impediatur.

Methodi autem virtutes eximiæque laudes ſunt, á notioribus ad ignotiora, á ſimplicibus ad compoſita, á generalibus ad ſpecialia, accurato antecedentium & conſequentium ordine progredi, ſingula & univerſa artis theoremata ſuo quodque loco disponere, & arctiſſimo nexu ita inter ſe colligare, ut non ſecus atque annuli in catena inter ſe cohæreant: præterea quod multis convenit, generatim complecti; quod ſpeciale, ſpeciatim perſequi: proinde nil tautologicé reiterare: ac ſummatim perſpicuitati, brevitati, ac facilitati ſtudere.

Sed hactenus de modo artificioſiús conformandi Jurisprudentiam Romanam: deinceps de cognoſcendi & tractandi ratione: adeoque de ipſa ipſius Juris Romani arte commodiús docenda & diſcenda. Hæc variis quondam deſcripta libris, ſed á Triboniano ac ſociis meliús informata, Juſtiniani tempore in ſcholis & in foro egregié florebat ac vigebat: ſed aliquantó póſt neglecta jacebat, donec Lotharius Saxo Jmperator leges Juſtinianeas ſitu & carie obſoletas, Aventino teſte, per Irnerium, vel potius Wernerum, qui diu Conſtantinopoli vixiſſet,

conſiliarium ſuum, recognovit, & in hoc occidentale Imperium introduxit: quo ipſo etiam tempore, vel circiter, Jus Pontificale compoſitum, ac Jus feudale adjectum fuit: & ordinaria utriusque Juris gloſſa poſtmodũ adhibita; tandem & ordinationes ac receſſus Imperii, item communes opiniones & conſuetudines, Jureconſultorum conſilia & disputationes, curiarum præcipuarũ deciſiones & adjunctæ; quorum omnium hodie partim in ſcholis, partim in foro habenda eſt ratio. Quamobrem ars Juris Romani etiamnum hodie variis, imó etiam pluribus quám Juſtiniani tempore, libris ac partibus continetur. Ad illam Juris artem, ad varia illius Juris volumina, omnia ſuperius tradita ſubſidia & beneficia aſſidué & prudenter adhibere convenit: ut puta ingenium primó & induſtriam, itemque diligentiam & conſtantiam, tum in doctrinâ ſeu theoria, tum in praxi addiſcenda: deinde humaniores artes ac linguas, præſertim Dialecticam, Rhetoricam, Philoſophiam practicam, itemque hiſtoriam: tum rectam præceptorum, definitionum, diviſionũ, itemque methodi conformationem: denique methodicam omnium Juris librorum, tractatuum, titulorum & materiarum ſynopſin: dici enim non poteſt, quantum hæc commoditatis ad perſpicué intelligendum, & quantum facultatis ad prompté recordandũ allatura ſit. Ve-

runtamen ad illam Juris artem, ad varia illa Juris volumina & membra, pręcipué & ante omnia ingenio opus eſt ac diligentia, diligentięq; conſtantia: eáque tum præceptoris, tum diſcipuli: primó quoad theorian, deinde quoad praxin. Ac præceptore quidem ſeu interprete, tum viva & pronunciata, tum muta & ſcripta voce docente.

Sed fido ac vivo inprimis præceptore tyroni opus eſt: & poſtea libris in tanta varietate ſelectis ac methodicis. Etenim præceptores vivi, ut ait Plato, dubitantibus commodiús reſpondent quám libri, & res intricatas magis perſpicué explicant: idque in vaſto illo Jurisprudentię ſtudio inprimis obtinet.

Tyro itaque priusquam judicium ſibi ſumat, audire primúm, ac ducem interpretemq; ſequi debet: nec ſtatim omnia in quæſtionem vocare, & nimium ſapere videri velle. Fidi autem interpretis officium eſt, res & verba, leges & præcepta, ordinemque ac methodum ſecundúm illa quæ ſupra de his ſingulis expoſita ſunt, ſolerter & accuraté conformare: uſitata quippe, utilia, neceſſaria, homogenea & ad rem pertinentia proponere: inuſitata, obſoleta, inutilia, ſuperflua, heterogenea & impertinentia, itemque captioſa prætermittere: ſtylo familiari, plano ac dilucido, cuncta exponere: præcepta vera, univerſalia, brevia, perſpicua, homogenea, &

cujusque

cujusque loci ac materiæ propria tradere: definitiones præſertim ac diviſiones accuratiſſimas inveſtigare: exemplis cõmodis illuſtrare: methodum accuratam monſtrare & uſurpare: definitionum, diviſionum, & ipſius quoq; methodi rationem reddere, ſingulorum theorematum & materiarum principia & fontes ex Philoſophia, ex humanioribus literis ac linguis, ex claſſicis authoribus aperire, & quomodo Jus inde profluat oſtendere, & hiſtorias interdum altiús, ſi opus ſit, repetere: item quæ ſimilia, vel in Græcâ quondam, vel in alia Republ. fuerint, unde nimirum hæc noſtra, imitatione quadã, expreſſa ſint, monſtrare: denique methodi cohærentiam & connexionem, & hujus connexionis rationem oſtendere; confuſionis etiam perplexitatem & tautologicam reiterationem evitare: meliores definitiones ac diviſiones, methodumq́; accuratiorem, ubi Tribonianus aut alii, ſeu antiquiores ſeu recentiores, langueſcunt ac deficiunt, ſi fieri poteſt, inquirere, & ex Cujacio, Weſembecio, aliíſve expromere: tandem veró etiam verba & apices verborum non anxié ſcrutari, ſed breviter exponere: verum autem ſenſum legis, veramq́ue vim ac poteſtatem præcipué rimari & explanare, legesq́ue benigniús, non autem rigidiús interpretari, ac majorem æquitatis quám ſtricti Juris rationem ducere, ſecundúm l, 17, 18, 25. ff. de legib. l. 90. ff. de reg.

Jur.l. 8. C. de judiciis. Noverit etiam interpres circumſpectus ſe ad captum diſcipulorum accommodare: incipientis & longiús progreſſi auditoris rationem habere:tyroni primúm elementa proponere:eaque á plenioribus tractationibus, commentationibus, ac disputationibus ſecernere: & prima elementa non niſi brevi commentario & tanquam paratitlis explicare: tyrones variis & gravibus quæſtionibus non onerare; á Bartolo, Baldo, & aliis prolixioribus gloſſatoribus ſerió adhuc aliquantiſper avocare: Noverit eos elementis perceptis ad lectionem privatā brevis alicujus commentarii commonefacere, & quomodo cum fructu legere poſſit, oſtendere: Noverit etiam antinomias conciliare:ac Jus ſcriptum & certum ab eo quod disputationibus Jureconſultorum controverſum ac dubium fuerit,diſtinguere. Noverit inſuper pauló ulteriús progreſſos ad ſuperiora & difficiliora Juris capita,& ad disputationes,item ad collationes & tanquam dicas ſermocinationes de quæſtionibus Juris familiares,tandemq; ad exercitationes practicas,provehere,exempla negociorum ac deliberationum politicarum proponere: locos etiam communes indicare, eorumque rectè & ordine colligendorum rationem oſtendere: conſuetudines & opiniones communes, atque obſervationes practicas annotare: & omnia ſeduló ad uſum accommodare:nec

re: nec tantúm ad diſputationes, ſed quandoque etiam ad declamationes Juridicarum quæſtionum contrarias diſcipulos extimulare: Noverit denique diſcipulos in Theoria & exercitatione ſcholaſtica confirmatos ad politicas etiam & forenſes tractationes practicas tanquam é ſchola in forum educere, ut quaſi ſerió nunc hoc nunc illud ageretur, quod aliquando ſerió in Republ. agendum aut gerendum eſt, agant & gerant: quales nimirum olim Rhetorum ſcholæ erant: quales Senecæ & Quintiliani, & aliorum declamationes erant: Fingatur ergo negocium, quale in ſenatu aliquando gerendum erit: eſto negocium, quale in foro: eſto negocium, quale in alio Reipubl. ſtatu & conditione occurſurum putatur: controverſia ſeu cauſa deliberando, diſputando, citando, comparendo, decernendo, dijudicando, exequendo, perpetuo ordine & commentitio quaſi proceſſu habeatur. Qualia nimirum olim adoleſcentúm in ſcholis Perſicis negociorum forenſium ac politicorum præludia & tanquam proceſſus practici fuiſſe leguntur: Ubi accuſationes & judicia fiebant, deque aliis etiam negociis diſceptabatur. Unde nimirum Cyrus, cúm aliquando tunicam brevioris pueri longiorem longiori puero, ac viciſſim adjudicaſſet, verberatus á Præceptore legitur Quod ſi horum omnium ſcholæ & exercitia velut olim, ſic etiamnum habe-

rentur; quod ſi nunc etiam tanquam in foro, ſic in ſcholæ theatro proceſſus & judicia, docto aliquo præſide moderante inſtituerentur, agerent aut accuſarent illi, defenderent aut exciperent alteri, & ſic ultró citróque contenderent, donec negocium totum expeditum foret, ac tum demũ doctiores & præſides dijudicarent: dici non poteſt, quantum commodi & emolumenti ad Juris cognitionem, ac tandem ſuo tempore ad Rempubl. ipſam acceſſurum ſit.

Atque hactenus de fidi præceptoris ſeu Interpretis officio & docendi modo. Quod ſi de ordine librorum in tantâ diverſorum generum ac voluminum Juris varietate explicandorum quæratur: á Jure Civili & Juſtinianeo quidẽ inchoandum: idque ſumto ab Inſtitutionibus initio: ac deinceps progreſſu per Pandectas, Codicem, Novellas facto. Cum his deinde Jus Canonicum ſeduló conferendum: ac paulatim gloſſæ quoque utriusque iſtius Juris delibandæ fuerint: & Jus feudale poſtremo feré loco cognoſcendum: cum id præcedentium anomalias & exceptiones crebriores contineat. Reliqua Juris genera, ut puta communes Doctorum opiniones & Regionum conſuetudines, JC[torum] conſilia & disputationes, Curiarum deciſiones &c. interim obiter quandoque attingi: ſed cum ad ipſa negocia, in foro, in curia, in ſenatu paulatim tractanda accedendum eſt, propiús ac

piús ac diligentiús cognoſci ac ponderari poſſunt: quorum omnium methodicam quandam ſynopſin, ſi haberi poſſit, primo initio præmittere conſultiſſimum foret.

Quibus omnibus ſi interpres aut Præceptor ſic defunctus fuerit: partibus ſuis omnibus magna cũ laude cumulatiſſimé ſatisfecerit. Diſcipulus veró ingratiſſimus & ignaviſſimus extiterit, ſi tam fidum ducem, tam dexterum Mercurium, non ſumma cum induſtria ac diligentia ſecutus & obſecutus fuerit: Enimveró ſi is ſeſe Philoſophicis iſtis & hiſtoricis principiis primúm omnium eleganter & mediocriter ſaltem ad futurum Juris ſtudium (velut ſuprá dictum fuit) præparet: deinde ſic præparatus & inſtructus divæ Themidos ſcholam, templum, ac theatrum ingrediatur: mox præeuntes fidos aliquos duces, Mercurios & interpretes diligenter ſequatur, poſtmodum ipſe quoque paulatim legat ac meditetur: tum exempla negociorum & aliarum rerum notet: interim etiam diſputet & declamitet, familiariter ſæpenumero cum æqualibus aut provectioribus de ſtudiis ſuis conferat, elegans etiam & accuratum Juris Lexicon ſemper in promtu habeat, atq;, ſi uſus tulerit, conſulat: tandem & practicos adhibeat, legat, & audiat: præludia quædam judiciorum & cõſiliorum, proceſſuum ac deliberationum Juridicarum, docto aliquo præſide mo-

derante, inſtituat: Et hîc cum primis interim inſignem aliquem ac præſtantem in Republ. virum, politicum & practicum aſſiduè ſequatur atque obſervet, & ab ejus latere, velut Cicero quoque monuit, non facilè diſcedat: talis, inquam, diſcipulus tanquam ludendo ad ſeria Reipubl. negocia quàm optimè præparabitur, veramque Jurisperiti laudem, honores, præmia, ac dignitatem merebitur: qui & ſingulis & univerſis, & privatim & publicè, plurimum commodet: qui patriæ, Reipub. & Eccleſiæ ſalutem ac proſperitatem gnaviter procuret: idque in primis, ſi divinam à Deo ad omnia iſta benedictionem ac ſucceſſum aſſiduè petat, & ad ejus gloriam cuncta referat.

FINIS.

DIATRIBE

PRIOR PAULO SUCCINCTIUS PROPOSITA.

DE JURIS STUDIO RECTE INSTITUENDO.

TANTA eſt Exercitiorum liberalium in quavis doctrina, tum privatorum tum publicorum, utilitas: tantus, qui ad eorundem exinde cultores uberrimé redundat, fructus, imó veró neceſſitas; ut non minus ſcité quám veré M. ille Cicero ad Trebatium JC^tum, univerſim ac generatim aſſeveret: Nullam artem ſine exercitatione vel percipi vel perfici poſſe.

Etenim infirma eſt artis (ut Cornificius ad Herennium atteſtatur) in omni diſciplina præceptio ſine ſumma aſſiduitate exercitatíonis: quandoquidem uſus frequens (eodem Cícerone de oratore teſte) omnium magiſtrorum præcepta ſuperat. Dabitis igitur, Auditores, pro benignitate & æquitate veſtra, ut pridem aliis, ita nunc mihi quoque veniam (atque ut detis quæſo) ſi non gloriolæ inanis deſiderio, non contendendi animo, non audacioris alicujus confidentiæ ſtimulo impulſus; ſed & mei, & juventutis exercendæ ſtudio permotus, conſen-

tientibus in illud ac ſuffragantibus Clariſſimis Academiæ & Facultatis Juridicæ proceribus, in auguſtam hanc cathedram conſcendam, materiamque é corpore Juris deſumtam, eamque & fructuoſam & jucundam, quanta potero brevitate & perſpicuitate, excutiam.

Sed cúm laudabili more hactenus receptum & uſurpatum ſit, quin & res ipſa propemodum id flagitet, de literis ac diſciplinis illis, quas expoſiturus aliquis ſit, præfari: nihil video nunc potius, nihil prius, quám de Jurisprudentiæ ſtudio generatim aliquid mihi hoc tempore præmittendum eſſe.

Dicam ergo, Deo bene fortunante, principió quidem de pręcipuis Jurisprudentiæ (pręſertim Romanæ) laudibus & commoditatibus: deinde veró de præcipuis difficultatum, quæ laudes illas, quantumvis illuſtriſſimas, quadantenus obſcurant, partim cauſis, partim remediis: ut ita nimirum conſtet, quo pacto quis faciliús, &, ſi fundamenta ſpectes, ſolidiús in Jurisprudentię ſtudio proficere queat: idque modeſté ac ſalvo accuratiore alterius cujuscunque judicio dicam. Quod dum peragere inſtituo, vos univerſos ac ſingulos, Auditores, quantâ poſſum obſervantiâ & diligentiâ, enixé oro, ut me ſolita veſtra benignitate excipere, ac breviter de propoſito argumento perorantem benevolo & æquo animo attendere non dedignemini.

Dabitur

Dabitur á nobis opera, ut res tota, quám fieri poteſt, expeditiſſimé peragatur.

Quæ igitur ad ſolidam ſcientiæ aut artis cujuscunque, ac proinde ad Jurisprudentiæ quoque cognitionem faciliús ac citiús comparandã deſiderantur, ea vel hominem ipſum, nempe cognoſcentem; vel artem ac Jurisprudentiam ipſam, nempe cognoſcendam, potius concernunt. Cognoſcens autem, ſi tyro ſit artis cognoſcendæ, ſine docente ſeu præceptore, ſolidé cognoſcere ac proficere nequit. Cæterúm in homine ipſo exoptatur & flagitatur tum Naturæ quædam ad artem inclinatio & ingenii aptitudo, tum diſciplinæ ac ſtudii diligentia: eaque non tantúm in doctrina ſeu theoria, ſed in applicatione quoque doctrinæ generalis ad ſpeciales crebrosque uſus, in ſpecialibus crebrisque exemplis, hoc eſt in exercitatione quoque ſeu praxi: & utraque illa tum in diſcente, tum in docente (ſi tyro docendus ſit) unicé flagitatur & exoptatur: idq; adhibita utrobique aſſidua numinis divini invocatione. Siquidem per me eſt, ut ſapiens ille Proverb. 8. per me eſt, ait, quód Reges regnant, & JC^ti ſeu cõſiliarii juſta decernunt. De natura & diligentia, ſeu doctrina generaliús ſumta, eleganter Tullius pro Archia Poëta: ad virtutes & artes naturam ſæpius, ait, ſine doctrina, quám doctrinam ſine natura valuiſſe. Et Fabius lib. 2. Sicut terræ nullam á na-

tura fertilitatem habenti nihil optimus agricola profuerit, é terra veró naturâ ſua fertili utile aliquid nullo etiam colente naſcitur: Sic natura ſine doctrina multum valebit: doctrina veró nulla eſſe ſine natura poterit: Nec tamen quisquam tam vitioſo á natura reperitur ingenio, qui diſciplina & diligentia nihil ſit conſecutus. Doctrina porró á fidis præceptoribus ac ſelectis libris petenda eſt, & á primis elementis ac principiis ad ſumma uſque faſtigia prudenti ordine ac ratione paulatim educenda. Diligentia veró illa tum in doctrina, tum in exercitatione diſcentis pariter ac docentis conſtantiam in objecto & propoſito deſiderat. Repudianda namque illa mollities eſt ac levitas, quæ novarum perpetuó rerum cupida, aſſiduitate unius objecti facilé offenditur: neque enim major ingeniorum peſtis eſt, Weſembecio teſte, quám nolle uni curæ ac meditationi inhæreſcere, & cogitationes vagas atque á propoſito alienas cohibere. Et recté Seneca, in doctrinis earumque præſertim rudimentis, neceſſarium eſſe monuit, ut non multa, ſed multum legatur.

Verúm hæc de primis illis & cõmuniſſimis in homine ipſo inſtrumentis ac mediis: quæ nimirum aſſidué ſunt ad omnem ſcientiam & artem, omnemq; ſcientiæ & artis partem & præceptionem cognoſcendam adhibenda. Nunc porró de iis quæ ad ipſam artem, hoc eſt, pro

noſtro

noſtro quidem inſtituto ad ipſam Jurisprudentiam, faciliús ac ſolidiús comparandam, deſiderantur. Hæc partim ſunt propædeiæ quædam ac præparationes neceſſariæ in neceſſariis ipſius pædeias, h. e. Jurisprudentiæ perfecté cognoſcendæ & tractandæ principiis & fundamentis, præmiſſę ac præcognitæ, partim modus & ratio legitima artem Juris accuraté cognoſcendi atque tractandi. Illa veró Jurisprudentiæ προπαιδεύματα ut in aliis amplioribus ac prolixioribus facultatibus: ſic & in vaſto illo Juris Romani Oceano, partim generalia & remotiora ſunt, quippe communia quædam materiæ rerum ac verborum tum quærendæ tum tractandæ inſtrumenta: partim ſpecialia & propinquiora, materiamq; ipſam ſubminiſtrantia, vel ſubſtantiam ipſam attingentia.

Generalia veró illa & remotiora Propædeumata ſunt Dialectica & Rhetorica, ſed inprimis Dialectica, velut eleganter M. Cicero in Bruto.

Dialectica igitur eſt illa, quæ in omnes ſapientiæ partes latiſſimé manat & diffunditur, ac non modó finem cujusque artis proſpicit, ſed etiam media ad finem recté ducentia ſine errore inquirit & oſtendit. Hæc eſt illa, ſine qua nil recté explicari, nil recté definiri, dividi, nil recté disputari ac dijudicari poteſt: nil (inquā) nec de juſtitia, nec de Jure, nec de moribus & actionibus, earumque circumſtantiis, variisq;

ac diverſiſſimis ſubinde novis incidentibus Juris, actionum, & circumſtantiarum caſibus & quæſtionibus: nec de Imperio, de Rep. de legibus & conſtitutionibus Imperii, deque infinitis negotiis disputari rectè & explicari poteſt: nil etiam in caſibus non expreſſis propter ſimilitudinem & rationis ἀναλογίαν ad veram cōſequentiam ritè produci. Hęc denique eſt illa, ſine qua nulla ratio firma, nulla probatio ſolida eſſe, ſine quâ nihil rectè ordinari, nihil accuratè disponi poteſt; adeoque ſine qua omnia confuſa & perplexa jacent. Hæc eſt illa, ſine qua nemo magnus unquam in ulla ſublimiori diſciplina, nedum in Jurisprudentia, evaſit.

Rhetorica porrò & ejus comes eloquentia, quàm utilis, quamque fructuoſa futuro Jureconſulto, futuro Politico, futuro Practico, & ſit & ſemper æſtimata fuerit, pleniùs hoc loco percenſere brevitatis ergò ſuperſedeo.

Hactenus ergo generalia illa & remotiora Jurisprudentiæ Propædeumata.

Specialia & propinquiora ſunt partim Ethica & Politica, partim hiſtoria Romana: partim denique Methodica & Synoptica Jurisprudentiæ Romanæ compendia. Ethica verò & Politica primos & intimos fontes, prima, veriſſima, & intima principia, demonſtrationes, ac fundamenta, juſtitiæ & Jurisprudentiæ, legum, æquitatis, ac judiciorum, Rerumpub. & imperi-

orum continent ac tradunt, rationem rectam, rectæq; rationis prudentiam exponunt, legem naturæ ſeu conſcientiæ exponunt, utriusque illius normas ac regulas tradunt, diſcrimen honeſti ac turpis oſtendunt, præmia honeſté viventibus decernunt, pœnas turpiter agentibus conſtituunt.

Ethica eſt vitæ ac morum honeſtorum norma, virtutum magiſtra, actionum laudabilium regula, quæ morbos animi dispellere, affectus ſedare, libidines & appetitus domare, rationem ac voluntatem prudenter regere, vitam totam ſecundùm rationis rectæ, virtutisque, & legis conſcientiæ, normam conformare docet.

Politica veró ſocietatū & communionum humanarum varia genera recté diſtinguit & inſtruit: omnia omnium hominum ſtudia liberalia & officia honeſta complectitur ac moderatur, beatitudinem ac proſperitatem, tum œconomicam tum politicam, per varia omnis generis, tum corpóris tum animi, tum vitæ ſeu fortunæ, tum publica tum privata bona, quæ commonſtrat & ſuppeditat, perſequitur: Et in quonam felicitas practica, Politica præſertim & OEconomica, potiſſimúm conſiſtat, comparetur, & conſervetur, oſtendit. Præcipué veró genera Imperiorum & Rerumpublicarum diſtinguit, quæque Jura, quæ leges & judicia, quæ magiſtratuum, jurisdictionum, munerum ci-

vilium, præmiorum ac pœnarum genera ad hanc vel illam Reip. atque Imperii formam, atque hoc ipſum, quibus de cauſis & quibus rationibus cōgruant, item quæ initia in illis, qui progreſſus & incremēta, quæ cōverſiones ac mutationes accidant, oſtendit. Hęc igitur ſunt Juris ac juſtitiæ, hæc ſocietatis humanæ, hæc Reipub. hæc Imperiorum & magiſtratuum, judiciorū & ſenatuum prima & veriſſima principia ac fundamenta, hæc proſperitatis & ſalutis politicæ certiſſima & commodiſſima incunabula, hæc Jurisprudentiæ Romanæ fulcra.

Ad ſummam Jurisprudentiæ (ne longior ſim in re manifeſta) tantum confert politica, eique tam cognata eſt & homogenea, ut Jurisprudentia generatim ſumta, reverâ nihil aliud eſſe videatur, quám ea, quæ antiquitus non Jurisprudentia ſed Politica dicebatur, aut certé nihil aliud, quám plenior quędam magisque practica & realis, adeoque tanquam dicas exemplaris, politica.

Hiſtoria denique tum univerſalis, tum præſertim particularis; tum profana, tum præſertim ſacroſancta & Biblica, Jurisprudentiæ ſæpenumero tantam lucem affert, quantam fermé ſol diei. Nec mirum. Etenim hiſtoria (ut apud Cic. inquit Antonius) teſtis temporum eſt, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Sine illius ergo luce cæcū eſſe Jurisprudentiæ

prudentiæ ſtudium, res ipſa clamat. Ad Juriſprudentiam ergo Romanam Hiſtoria Romana (cum qua tamen aliarum quoque gentium hiſtoriç conferri poſſunt) non jucunda tantùm, non fructuoſa tantùm, ſed ſæpe neceſſaria eſt: Hiſtoria, inquam, Juris, Imperii, ac politiæ Romanæ: neque enim nunc res aliæ, quàm quæ ad Jus, Imperium, ac politiam pertinent, ſpectantur. Hęc igitur ea eſt, quę negociorũ in Rep. occaſiones & cauſas proximas, variaſque omnis generis circumſtantias, enarrat, & in primis quid juris de illis ipſis Philoſophia, præſertim Ethica & Politica, duce, prudentia & legis naturæ juſtitia comite, vel potius conſiliaria ac magiſtra, ſancitum & ſtatutum ſit, commemorat.

Ex hiſtoriâ ergo Romanâ cognoſcendum, quemadmodum ex populari ſtatu primus Cæſar Julius Imperium Romanũ ad ſpeciem quandam Regni revocaverit: ſic tamen, ut ſenatui & conſulibus ſua quædam authoritas incolumis maneret: deinde quemadmodum Conſtantinus Imperium illud ex Italiâ in Græciam & Thraciam, ut puta Româ Conſtantinopolin, quam videlicet novam Romam nuncupabat, transtulerit: ac tandem, quemadmodum Juſtinianus ex omni ſuperiore Jure hoc Jus Juſtinianeũ, quo nunc utimur, compoſuerit: item quemadmodum ampliſſimum iſtud Imperium poſtea diviſum ſit, ac pars una iſthic in ori-

ente mundi plaga manſerit, altera veró huc in occidentem translata, & Carolo Magno in Europa conceſſa fuerit: itemque quomodo illud paulatim magis magisque & Chriſtiano-Romanum & Germanico-Romanum eſſe cœperit; ad hæc, quemadmodum hoc occidentis Imperium, quantumvis inter Caroli Magni tres liberos ejusq; ſucceſſores alios rurſum diviſum, nihilominus tamen commune manſerit: item quemadmodum illud ipſum communi illo Romano Juſtinianeo Jure paulatim iterum colligatum & inter ſe quaſi coagmentatum, & paulatim inſuper Pontificali quoq; accedente Jure amplificatum fuerit: Cognoſcendum etiam, quemadmodū tandem ſumma illius Imperii fermé penitus ad Germanos revocata ſit: Item quemadmodum hoc ipſum Imperium admirabili Juris ac juſtitiæ contemparatione in Germania conſtitutum, ſic nimirum ut non unius, non optimatum, non populi proprium, ſed omnium ac ſingulorum, adeoque multorum in Imperio Statuum, ſub uno tamen Imperatore, & uno Principum Electorum ſenatu, commune ſit, idque etiamnum hodie: Cognoſcendum denique, quemadmodum ad tuendum hoc Imperium & civium Germanico-Romanorum incolumitatem & ſalutem ab Imperatoribus præſertim in comitiis Imperii, deinceps alia atque alia conſtituta & ordinata fuerint

rint. Videtis auditores, quantum lucis Juriſprudentiæ noſtræ mediocris Philoſophiæ & hiſtoriæ cognitio afferat? Videtis, quantum emolumenti & quantum ſubſidii afferat humaniorum literarum ac linguarum cognitio? ut vel unica lex, Lecta, D. de rebus credit. (ut plurimas alias taceam) teſtis eſt, ut puta quam Accurſius cæterique interpretes intelligere non potuerunt, donec Hermolaus Barbarus & Guilielmus Budæus ex bonis linguæ Latinæ autoribus docuiſſent, quid ſit uſura centeſima.

Ex Juriſprudentiæ Romanæ ſuprá diſtinctis propædeumatis & fundamentis iſtis, ſubſtantialis προπαιδεία nobis ſupereſt. Hæc, ut in aliis παιδείαις & facultatibus diſciplinarum liberalium: ita & hîc ex ipſo Juriſprudentię corpore delibari; ac per ſynopſin generalium & præcipuorum Juris capitum breviſſimam methodicé tyronibus proponi debet: idque paulatim etiam ἐλεγκτικῶς & adhibitâ velitatione diſputationum ſyllogiſticâ, & exercitatione practica in ſingulis iſtis. Quorum certé compendiorum ac σωματίων Methodicarum & ſuccinctarum maxima utilitas eſt. Cúm enim immenſus rerum & cauſarum Juriſprudentiæ ſubjectarum campus, ac ſumma varietas, imó infinitas quædam ſit, ingenium autem & judicium in iſta varietate & infinitate in tyronibus infirmum, memoria veró hominum valde labilis; nihil pulchrius eſt,

nihil utilius, nihil potius, quám infinitatem ac varietatem iſtam ad certa ac ſuccincta rerum capita pro tyronum captu revocare, latiſſimé diſperſa in unum cogere, ac ſub unum quaſi intuitum referre, hoc eſt, generalem quandam, ſuccinctam, perſpicuam, & methodicam Jurisprudenitæ σωμάτιον incipientibus ſubminiſtrare.

Methodi autem virtutes eximiæque laudes ſunt, á notioribus ad ignotiora, á ſimplicibus ad compoſita, á generalibus ad ſpecialia, accurato antecedentium & conſequentium ordine progredi, ſingula & univerſa artis theoremata ſuo quodque loco diſponere, & arctiſſimo nexu ita inter ſe colligare, ut non ſecus atque annuli in catena inter ſe cohæreant: præterea quod multis convenit, generatim complecti; quod ſpeciale, ſpeciatim perſequi: proinde nil tautologicé reiterare: ac ſummatim perſpicuitati, brevitati, ac facilitati ſtudere.

Sed hactenus de propædeumatis illis: deinceps de cognoſcendi & tractandi ratione: adeoque de ipſa Juris Romani arte commodiús docenda & diſcenda.

Hæc variis quondam deſcripta libris, ſed á Triboniano ac ſociis meliús informata, Juſtiniani tempore in ſcholis & in foro egregié florebat ac vigebat: Sed aliquantó póſt neglecta jacebat, donec Lotharius Saxo, Imperator, leges Juſtinianeas ſitu & carie obſoletas, Aventino

teſte,

ſte, per Irnerium, vel potius Wernerum, qui diu Conſtantinopoli vixiſſet, conſiliarium ſuum, recognovit, & in hoc occidentale Imperium introduxit: quo ipſo etiam tempore, vel circiter, Jus Pontificale compoſitum, ac Jus feudale adjectum fuit: & ordinaria utriusque Juris gloſſa poſtmodum adhibita; tandem & ordinationes ac receſſus Imperii, item communes opiniones & conſuetudines, Jureconſultorum conſilia, & disputationes, curiarū præcipuarum deciſiones &c. adjunctæ; quorum omnium hodie partim in ſcholis, partim in foro habenda eſt ratio. Quamobrem ars Juris Romani etiamnum hodie variis, imó etiam pluribus quám Juſtiniani tempore libris ac partibus continetur. Ad illam Juris artem, ad varia illa Juris volumina, omnia ſuperiús tradita ſubſidia & beneficia aſſiduè & prudenter adhibere convenit: utputa ingenium primó & induſtriam, itemque diligentiam & conſtantiam, tum in doctrina ſeu theoria, tum in praxi addiſcenda: deinde humaniores artes ac linguas, præſertim Dialecticam, Rhetoricam, ac Philoſophiam Practicā, itemq; hiſtoriam: tum rectam præceptorū, definitionum, diviſionū, itemq; methodi conformationem: denique methodicam omnium Juris librorum, tractatuum, titulorum & materiarum ſynopſin: dici enim non poteſt, quantum hæc commoditatis ad perſpicuè intelli-

gendum, & quantum facultatis ad promté recordandum allatura ſit.

Veruntamen ad illam Juris artem, ad varia illa Juris volumina & membra præcipué & ante omnia ingenio opus eſt ac diligentia, diligentiæque conſtantia; eaque tum præceptoris, tum diſcipuli: primó quoad theorian, deinde quoad praxin. Ac præceptore quidem ſeu interprete, tum viva & pronunciata, tum muta & ſcripta voce docente: Sed vivo ac fido inprimis pręceptore tyroni opus eſt: & poſtea libris in tanta varietate ſelectis ac methodicis. Etenim præceptores vivi, ut ait Plato, dubitantibus commodiús reſpondent quám libri, & res intricatas magis perſpicué explicant: idque in vaſto illo Jurisprudentiæ ſtudio inprimis obtinet.

Tyro itaque priusquam judicium ibi ſumat, audire primúm ac ducem interpretemque ſequi debet: nec ſtatim omnia in quęſtionem vocare, ac nimium ſapere videri velle. Fidi autem interpretis officium eſt, res & verba, leges & pręcepta; ordinemque ac methodum, ſecundúm illa, quæ ſupra de his ſingulis expoſita ſunt, ſolerter & accuraté conformare, uſitata quippe, utilia, neceſſaria, homogenea & ad rem pertinentia proponere: inuſitata, obſoleta, inutilia, ſuperflua, heterogenea & impertinentia, itemq; captioſa prætermittere: ſtylo familiari, plano, ac dilucido cuncta exponere: præcepta vera, uni-

verſalia, brevia, perſpicua, homogenea & cujusque loci ac materiæ propria tradere: definitiones præſertim ac diviſiones accuratiſſimas inveſtigare: exẽplis commodis illuſtrare: methodum accuratam monſtrare & uſurpare: definitionum, diviſionum, & ipſius quoque methodi, rationem reddere; ſingulorum theorematum & materiarum principia & fontes ex Philoſophia, ex humanioribus literis ac linguis, ex claſſicis authoribus, aperire, & quomodo Jus inde profluat, oſtendere, & hiſtorias interdum altiús, ſi opus ſit, repetere: item quæ ſimilia vel in Græca quondã, vel in alia repub. fuerint, unde nimirum hæc noſtra, imitatione quadam expreſſa ſint, monſtrare: denique methodi cohærentiam & connexionem, & hujus connexionis rationem oſtendere: confuſionis etiam perplexitatem & tautologicam reiterationem evitare: meliores definitiones ac diviſiones, methodumque accuratiorem, ubi Tribonianus aut alii ſeu antiquiores ſeu recentiores, langueſcunt ac deficiunt, ſi fieri poteſt, inquirere, & ex Cujacio, Weſembecio, aliisve expromere: tandem veró etiam verba & apices verborum non anxié ſcrutari, ſed breviter exponere: verum autem ſenſum legis veramque vim ac poteſtatem præcipué rimari & explanare, legesque benigniús non autem rigidiús interpretari, ac majorem æquitatis, quám ſtricti Juris rationem ducere,

ſecundúm l. 17. 18. 25. ff. de legib. l. 90. ff. de reg. Jur. l. 8. C. de judiciis. Noverit etiam interpres circumſpectus ſe ad captum diſcipulorum accommodare: incipientis & longiús progreſſi auditoris rationem habere; tyroni primúm elementa proponere: eaque á plenioribus tractationibus, commentationibus, & disputationibus ſecernere: & prima elementa non niſi brevi commentario & tanquam paratitlis explicare: tyrones variis & gravioribus quæſtionibus non onerare: á Bartolo, Baldo, & ſimilibus prolixioribus gloſſatoribus ſerió adhuc aliquantiſper avocare. Noverit eos elementis perceptis ad lectionem privatam brevis alicujus commentarii commonefacere, & quomodo cum fructu legere poſſit, oſtendere. Noverit etiam antinomias conciliare, ac Jus ſcriptum & certum ab eo, quod disputationibus Jurecconſultorum controverſum ac dubium fuerit, diſtinguere. Noverit inſuper pauló ulteriús progreſſos ad ſuperiora & difficiliora Juris capita, & ad disputationes, item ad collationes & tanquam dicas ſermocinationes de quæſtionibus Juris familiares, tandemque ad exercitationes practicas provehere, exempla negociorum ac deliberationum politicarum proponere, locos etiam communes indicare, eorúmque recté & ordine colligendorũ rationem oſtendere, conſuetudines & opiniones communes, atque ob-

ſervationes

ſervationes practicas annotare:& omnia ſeduló ad uſum accommodare: nec tantúm ad disputationes, ſed quandoque etiam ad declamationes Juridicarum quæſtionum contrarias diſcipulos extimulare. Noverit denique diſcipulos in theoria & exercitatione ſcholaſticâ confirmatos, ad politicas etiam & forenſes tractationes practicas tanquã é ſchola in forum educere, ut quaſi ſerió nunc hoc nunc illud ageretur, quod aliquando ſerió in Repub. agendum aut gerendum eſt, agant & gerant: quales nimirum olim Rhetorum ſcholæ erant, quales Senecæ, & Quintiliani,& aliorum declamationes erant. Fingatur ergo negocium, quale in ſenatu aliquando gerendum erit: eſto negocium, quale in foro: eſto negocium, quale in alio Reipub. ſtatu & conditione occurſurum putatur: controverſia ſeu cauſa deliberando, disputando, citando, comparendo, decernendo, dijudicando, exequendo, perpetuo ordine & commentitio quaſi proceſſu habeatur. Qualia nimirum olim adoleſcentum in ſcholis Perſicis negociorum forenſium ac politicorum prælúdia & tanquam proceſſus practici fuiſſe leguntur: ubi accuſationes & judicia fiebant, deq; aliis etiam negociis disceptabatur. Unde nimirum Cyrus, cúm aliquando tunicam brevioris pueri longiorem longiori puero, ac viciſſim adjudicaſſet, verberatus á pręceptore legitur. Quod ſi horum,

omnium ſcholæ & exercitia, velut olim, ſic etiamnum haberentur: quod ſi nunc etiam tanquam in foro, ſic in ſcholæ theatro proceſſus & judicia docto aliquo præſide moderante inſtituerentur, agerent aut accuſarent illi, defenderent aut exciperent alteri, & ſic ultró citroque contenderent, donec negocium totum expeditum foret, ac tum demum doctiores & præſides dijudicarent: dici non poteſt, quantum commodi & emolumenti ad Juris cognitionem, ac tandem ſuo tempore ad remp. ipſam acceſſurum ſit. Atque hactenus de fidi interpretis officio & docendi modo. Quod ſi de ordine librorum in tanta diverſorum generum ac voluminum Juris varietate explicandorum quæratur: á Jure Civili & Juſtinianeo quidem inchoandum: idque ſumto ab Inſtitutionibus initio: ac deinceps progreſſu per Pandectas, Codicem, Novellas facto. Cum his deinde Jus Canonicum ſeduló conferendum: ac paulatim gloſſæ quoque utriusque iſtius Juris delibandæ fuerint: & Jus feudale poſtremo feré loco cognoſcendum: cum id præcedentium anomalias & exceptiones crebriores contineat. Reliqua Juris genera, ut puta communes doctorum opiniones & Regionum conſuetudines, JC^torum^ conſilia & disputationes, curiarum deciſiones &c. interim obiter quandoque attingi: ſed cúm ad ipſa negocia in foro, in curia, in ſenatu paulatim

latim tractanda accedendum eſt, propiús ac diligentiús cognoſci ac ponderari poſſunt: quorum omnium methodicā quandam ſynopſin, ſi haberi poſſit, primo initio prȩmittere conſultiſſimum foret.

Quibus omnibus ſi interpres aut Præceptor ſic defunctus fuerit: partibus ſuis omnibus magna cum laude cumulatiſſimé ſatisfecerit. Diſcipulus veró ingratiſſimus & ignaviſſimus extiterit, ſi tam fidum ducē, tam dexterum Mercurium, non ſumma cum induſtria ac diligētia ſecutus & obſecutus fuerit. Enimveró ſi is ſeſe Philoſophicis iſtis & hiſtoricis principiis primū omnium eleganter aut mediocriter ſaltem ad futurum Juris ſtudium (velut ſuprá dictum fuit) præparet: deinde ſic prȩparatus & inſtructus divæ Themidos ſcholam, templum ac theatrū ingrediatur: mox præeūtes fidos aliquos duces, Mercurios & interpretes diligēter ſequatur; poſtmodū ipſe quoq; paulatim legat & meditetur: tum exempla negociorum & aliarum rerum notet: interim etiam diſputet ac declamitet, familiariter ſæpenumero cū æqualibus aut provectioribus de ſtudiis ſuis cōferat, elegans etiam & accuratum Juris Lexicon ſemper in promptu habeat, atque, ſi uſus tulerit, conſulat: tandem & practicos adhibeat, legat & audiat: præludia quædam judiciorum & conſiliorum, proceſſuum ac deliberationum Juridicarum, do-

ctо aliquo Præſide moderante, inſtituat: & hic comprimis interim inſignem aliquem ac præſtantem in Republ. virum politicum & practicum aſſidué ſequatur atque obſervet, & ab ejus latere, velut Cicero quoque monuit, non facilé diſcedat: talis, inquam, diſcipulus, tanquam ludendo ad ſeria Reip. negocia quám optimé præparabitur, veramque Jurisperiti laudem, honores, præmia, & dignitatem merebitur: qui & ſingulis, & univerſis, & privatim, & publicé plurimum commodet; qui patriæ, Reipubl. & Eccleſiæ ſalutem ac proſperitatem gnaviter procuret: idque inprimis, ſi divinam á Deo ad omnia iſta benedictionem ac ſucceſſum aſſidué petat, & ad ejus gloriam cuncta referat.

FINIS.

De JURISPRUDENTIÆ ROMANÆ STUDIO; ET QUÆ IN SINGULIS EJUS materiis præcipué ſpectanda ſint;

DIATRIBE ALTERA.

QUÆ IN SINGULIS JURISPRUDENTIÆ MATERIIS PRÆCIPUE SPEctanda ſint.

JURISPRUDENTIA, Philoſophiæ Politicæ filia, eſt ars boni & æqui, ut Ulpianus ex Celſo l.1. de Juſt. & Jur. definit: vel eſt ars Juris, in politia qualibet recepti, §.1. Inſt. eod. & §.2. Inſt. de Jure naturali, gentiũ & civili, l.2. ff. de origine Juris. Jus civile (ait Imperator jam d. §.2.) ex unaquaque civitate appellatur; ut Jus civile Athenienſium: ſic & Jus, quo Romanus populus utitur, Jus civile Romanorum appellamus, &c. Proinde Jurisprudentiæ Romanæ objectum, eſt Jus apud Romanos; ſeu in politia Romana; receptum & uſurpatum: vel; ut Imperator loquitur; quo populus Romanus utitur. Jus hóc loco eſt, quicquid ſecundúm prudentię & juſtitię normã inter homines æquum bonũ eſt, ſeu honeſtum & utile, juſtum ac ſalutare. Neque enim ulla capitalior hominum generi peſtis, Socrate, Platone, ac Cicerone teſte, eſt, quám prudentiam é juſtitia, & utilitatem ab honeſtate ſejungere. Principia ergo, normæ & κριτήεια Juris ac Jurisprudentiæ ſunt

prudentia rationis rectæ, & juſtitia legis naturæ ſeu conſcientiæ,inter Chriſtianos quidem cum decalogo collatæ. Ad utramque veró iſtam & circumſtantiarum & proportionum practicarum, conſideratio ſedula ſpectat.

Quicquid igitur rationis rectæ prudentia, & legis conſcientiæ juſtitia, in vita & rebus agendis, inter homines eſſe aut fieri jubet, id Jus eſt: proinde id æquum eſt.

AEquum, ſeu æquitas generatim ſumta, eſt proportionalis, quo ad honeſtatem & utilitatem, æqualitas inter eos, inter quos convictus aliquis & communicatio rerum aut verborum exiſtit: ſeu proportio illa ſit Arithmetica ſeu Geometrica, ſeu harmonica (quam Bodinus addit) nempe ex utraque illa contemperata.

Et hanc proportionem ſeu proportionis æqualitatem in practicis ſervare, eſt Jus ſervare, ſeu juſté agere: hoc eſt, honeſté vivere, neminem præter fas lædere, ſuum cuique tribuere: idque videlicet tum in factis, tum in facientium & factorum meritis, hoc eſt, tum in conventionibus, contractibus, & commerciis, tum in officiis, honoribus ac præmiis, itemque pœnis ac ſuppliciis. Atque hinc nimirum vir bonus eſt, qui honeſté vivit, & ſuum cuique tribuit, atque adeó qui prodeſt quibus poteſt, nocet autem nemini, ut Cicero definit.

AEquum autem generatim inter omnes

homines

homines eſt & eſſe debet, quatenus omnes mundi unius, tanquam communis patriæ & civitatis, incolæ & convictores ſunt, atque ulla aliqua rerum aut verborum communicatione utuntur. Sed æquum politicum in ſpecie(quod nos ſpectamus) inter eos præcipuè eſt, qui unius ejusdemque Politiæ ſeu Reipub. (ut, apud nos, Romanæ) communione ac ſocietate cōtinentur. Neque enim aut communio & ſocietas vera ſine Jure & æquitate, aut ſine communione, Jus eſſe ac ſubſiſtere poteſt.

Cæterùm objecta Juris principalia, de quibus nimirum Jus ipſum ex principiis ſuis, politicis præſertim & hiſtoricis, duce juſtitia, & conſiliaria prudentia, mediante proportione legitima, conſtituitur, ſancitur, & informatur; ſunt tam perſonæ & res, itemque negocia perſonalia & realia: tam judicia & actiones de iisdem inſtitutæ. Omne Jus quo utimur (ait Imperator §. fin. Inſt. de Jur. nat.) vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. AEquum tamen ſeu Jus, hominum & perſonarum propriū eſt, non rerum: quandoquidem Jus, perſonarum cauſâ conſtitutum eſt, ut ibidem ſubjungit Imperator.

Homo itaque ſeu perſona, jus habet vel in perſonam, vel in rem. Illud perſonale, hoc reale Jus eſt. De utroque ſi dubitatur & litigatur, judicia & actiones naſcuntur.

In perſonã jus habet homo, vel ratione ſtatus ac poteſtatis, vel ratione obligationis: & obligationis quidẽ, vel ex conventione, vel ex delicto. Quanquam.n. Tribonianus obligationẽ Rebus ſubjunxit & attexuit; quoniã ea rem quandoq; attingit, ac perſonę obligatam facit, velut in hypotheca apparet: tamẽ eam idem Tribonianus ex perſonæ ſolius obligatione definit, cúm ait, Obligatio eſt Juris vinculũ, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ &c. Adſtringimur, ait, id eſt, perſonę adſtringuntur. Et ex obligationibus ſané actiones nõ in rem, ſicut ex dominio, ſed in perſonã dantur. Porró in rem jus habet homo ſeu perſona, vel ratione poſſeſſionis, vel ratione dominii: & utriusq; aut veri aut quaſi. Res ſunt corporales vel incorporales. Res incorporales ſunt quãtitatis, ut numus, (hoc eſt valor materiæ, non materia ipſa) aut qualitatis, quæ proprié Jura dicũtur; quæq; pręcipua & nobiliſſima ſunt rerũ incorporalium ſpecies. Talia Jura ſunt ſervitutes, item dos, hereditas, bonorũ poſſeſſio &c. Atq; hîc aliud eſt res, aliud jus in re; aliud corpus, aliud jus in corpore; aliud fundus, aliud ſervitus fundo debita; aliud dos, aliud res dotalis.

Iſtud Jus perſonarum ac rerum, eſt veritatis & æquitatis inter homines (inter quos ſcilicet negocium eſt, ſeu perſonale, ſeu reale) aut certæ & incontroverſæ, aut dubiæ & controverſæ. Il-

lud

lud inter homines ſine lite ac judicio, hoc veró cum lite ac judicio, obtinetur & expeditur. Si jus rerum, quoad dominium, inter aliquos controverſum ſit, actio rei vindicationis oritur: quę κατ' ἐξοχὴν realis actio dicitur: ſi Jus rerum, quo ad poſſeſſionem, inter aliquos controverſum fiat, interdictis utimur: ſi Jus perſonale ſtatus ac poteſtatis controverſum ſit, actio præjudicialis naſcitur: ſi Jus obligationis, ex conventione, vel ex delicto promanantis, controverſum ſit, actio ex obligatione conventionis aut delicti profecta, oritur, quæ uno nomine (præſertim ſi ex conventione profluat) cōdictio nuncupatur.

Quemadmodum autem in doctrina perſonarum ratione ſtatus & conditionis, eſt Jus hominis liberi (qui proprié perſona dicitur: ſervus enim perſonam olim civilem non habebat) Jus ingenui, libertini; & ratione poteſtatis Jus patris, tutoris, curatoris: Similiter in doctrina rerum Jus ſervitutis, tum urbanæ tum ruſticæ, Jus donationum, uſucapionum, & ſucceſſionum in rebus univerſalibus ex teſtamento & ab inteſtato, item in rebus ſingularibus, quo ad legata, & alia: ſimiliter Jus poſſeſſionis ac dominii in jam modó dictis rerum generibus. Denique quemadmodum in doctrina obligationum eſt Jus mutui, commodati, depoſiti, pignoris, emtionis-venditionis, locationis-cōductionis &c. ſic in ipſis quoque judiciis & actionibus, eſt Jus

agendi, excipiendi, replicandi, duplicandi &c. Item quoad judicem, jus cognoſcendi, citandi, decernendi, decidendi, ſententiam pronunciandi, exequendi. Item quoad partem duriore ſententiâ gravatam, Jus appellandi &c.

Porró in universa Jurisprudentia, & in ſingulis ejus capitibus, materiis ac generibus, tum jam modó dictis, tum aliis aſſidué ſpectatur, quibus modis Jus illud ſtatus ac poteſtatis, item dominii ac poſſeſſionis, ſervitutis, donationis, uſucapionis, ſucceſſionis &c. Item Jus obligationis, mutui, commodati, emptionis-venditionis, locationis-conductionis &c. atque adeó quodvis aliud Jus; tum acquiratur & conſtituatur, tum retineatur & conſervetur, tum denique amittatur & diſſolvatur, ſecundúm l. ult. ff. de legibus, quæ ſic habet: Totũ Jus conſiſtit, aut in acquirendo, aut in conſervando, aut in minuendo: aut. n. hoc agitur quemadmodũ quid cujusque fiat, aut quemadmodum quis rem vel Jus ſuum conſervet, aut quomodo alienet vel amittat. Proinde in totâ Jurisprudentiâ accuraté conſiderandi ſunt modi Juris acquirendi & conſtituendi, item conſervandi aut diſſolvendi &c. ac præcipué modi conſtituendæ & acquirendæ, conſervandæ, diſſolvendæ, aut amittendæ poteſtatis, poſſeſſionis, dominii & obligationis.

Modi veró iſti ſuas habent cauſas, & cauſæ quandoque

quandoque ſuos titulos: quibus bonæ vel malæ fidei conſideratio accedere conſuevit.

Sed hoc tempore de conſtituendo potiſſimùm & acquirendo Jure, ejusque cauſis & modis obiter aliquid dicamus, itemq; de actu conſtitutionis & requiſitis ad eum. Hæc enim conſideratio & obſervatio in omnibus ac ſingulis totius Jurisprudentiæ materiis maximum habet uſum.

Cauſa conſtituendi & acquirendi Juris alia principalis eſt, alia minus principalis. Principalis eſt partim lex ſive Jus, partim natura lege comprobata: Deinde lex aut inanimata, nempe Juris gentium ac præſertim civilis; aut animata, legem repræſentans, ut eſt magiſtratus vel judex, cujus prudentiæ, æquitati & arbitrio quandoque relinquitur jus. Cauſa conſtituendi & acquirendi Juris efficiens minus principalis, proximior tamen, & qua natura vel lex, tanquam medio ſeu inſtrumento utitur, eſt homo faciens (præſertim privatus) & factum hominis: ſed talis homo, & tale factum, quod nec natura nec lege reprobatur, tanquam minus idoneum ad hoc vel illud Jus conſtituendum. Iſtas veró conſtituendi Juris cauſas, maximé veró principales, Modi Juris conſtituendi, quadantenus imitantur: ſunt enim Juris naturæ, gentium vel civilis. Sic exempli gratia; Cauſa principalis, poteſtatis & relatæ ſubjectionis inter pa-

trem ac liberos, inter tutorem & pupillos, &c. eſt partim natura, partim Jus gentium aut civile: partim Jus animatum, nempe magiſtratus, pręſertim in tutelis: cauſa ſecundaria iſtius Juris, id eſt poteſtatis ac ſubjectionis, eſt homo faciens, nempe, privatus, & factum hominis: ſed faciens ſecundúm legem naturæ, & Juris gentium ac civilis: procreando ſcil. liberos ex juſtis nuptiis, item adoptando, legitimando: deinde tutelam vel curam ſuſcipiendo, ac juramentum propterea præſtando: Ubi ita & obligationis ex q. contractu cauſa, inſuper accedit.

Modi conſtituendi illius Juris, h. e. poteſtatis; exempli gratia, poteſtatis patriæ; ſunt, á natura quidem, ſed lege comprobatâ, vel in ſocietatem legis aſſcita; á natura, inquam, ſunt maris & fœminæ conjunctio, id eſt nuptiæ: á lege veró ſolâ, modi præcipué duo ſunt, adoptio & legitimatio &c. Similiter cauſa principalis & ſecundaria acquirendæ poſſeſſionis ac dominii eſt ferme eadem illa, quæ jam modó in acquirendâ & conſtituendâ poteſtate fuit: nempe natura, lex, & homo, ſecundúm naturam ac legem faciens & acquirens. Titulus ſubinde ad cauſam accedens eamque firmans, eſt titulus donationis, emptionis, venditionis &c. Cauſam & titulum laudabiliter perficit bona fides agentium ſeu facientium. Modi veró in his poſterioribus omnino diverſi ſunt, tum á ſe invicẽ, tum á modis

dis conſtituendæ poteſtatis. Modus acquirendæ poſſeſſionis, eſt apprehenſio; quam in detentatione quidem ſimplici ſufficit fieri corpore: in cæteris autem ac veris poſſeſſionis generibus eam & corpore ſimul & animo rem habendi, fieri neceſſe eſt.

Modi acquirendi dominii, quos Jus naturæ & gentium ſubminiſtrat, præcipui, ſunt, Apprehenſio, occupatio, traditio; & hæ aut veræ aut quaſi; item Acceſſio, quò pertinet alluvio, inædificatio, implantatio, pictura, ſcriptio, deniq; ſpecificatio: aliis effectio: quò referri ſolet confuſio & commixtio.

Modi acquirendi dominii, Jure civili, præcipui quidem, ſunt præſcriptio; quæ & uſucapio; item ſucceſſio, tum univerſalis, eaque ſeu civilis, ſeu prętoria & poſſeſſoria, ſeu ex teſtamento, ſeu ab inteſtato, tum univerſalis, inquam, tum ſingularis. Quibus adjicitur Addictio bonorum, arrogatio, ceſſio bonorum, miſſio in bona debitoris &c.

Cauſa principalis conſtituendæ obligationis eſt partim natura (ſicut & ſupra) partim lex ſive Jus; cui magiſtratus accedere & ſubſervire ſolet: præcipuè tamen Jus: unde obligatio definitur vinculum Juris: ſive ſit Jus gentium, ſive civile. Cauſa minus principalis & ſine qua non, eſt homo faciens, & factum hominis: Jus, inquam, ſeu lex, principalis cauſa eſt obligationis conſti-

tuendæ: quandoquidem ſæpe fit, ut homo obligari ex facto aliquo nolit, & obligetur tamen nihilominus, ſi ſcil. tale quid fecerit, ex quo lex & magiſtratus ipſum obligari voluit: id quod in obligationibus ex maleficio ortis ſatis liquet. Et Jus tamen obligationem non conſtituit, niſi aliquod hominis factum adſit. Quamobrem & hîc ex facto Jus oritur: nec tamen promiſcué quovis facto, ſed eo tantúm, ex quo Jus obligationem proficiſci voluit. Hæc de cauſis obligationis.

Modos conſtituendæ obligationis, quibus videlicet Jus ceu inſtrumentis ad introducendam obligationem utitur, exhibet ac demonſtrat factum hominis: h. e. vel conventio, vel delictum. Et hi duo ſunt generales omnium obligationum conſtituendarum modi.

Atque hæc de cauſis & modis conſtituendi & acquirendi Juris cujuscunque.

Cæterúm conſtituitur illud Jus actu aliquo ſeu negocio perſonæ: nempe aut unius perſonę, aut plerumque plurium: quæ ſcil. aut faciunt omnes, aut altera agit, altera patitur: & conſtituitur Jus illud in re, ad rem, aut de re aliqua, vel ſaltem mediante re aliqua, ſeu corporali ſeu incorporali: idque interdum & medio aliquo intercedente, id eſt, mediante re altera, ad perſonas & res objectas conciliandas, velut in contractibus quibusdam fit: & conſtituitur Jus illud

obſervata

obſervata proportione Arithmetica vel Geometrica, de qua ſuprà. In delictis Jus conſtitutum, eſt obligatio ad pœnam: Res, eſt ipſa pœna: vel etiam res corrupta, deperdita, furto ablata &c. Ipſum delictum eſt violatio proportionis & Juris: & tamen proportio eſſe debet ratione Juris, inter delictum & pœnam. Quamobrem in actu illo & Juris conſtitutione ſpectantur, tum Jus ipſum, ejusque cauſæ ac modi, de quibus paulo antè: tum perſonæ conſtituentes & facientes, itemque res objectæ: (interdum & res aliæ inter perſonas & res objectas conciliandas mediæ) ſed utræque tales, quæ natura & legibus comprobatæ, non autem prohibitæ ſint: tum denique factum ipſum; ſive illud plurium ſit inter ſeſe, ſive unius, ut cum quis rem quæ nullius erat, apprehendit, ſibique in ea Jus poſſeſſionis ac dominii conſtituit. In actu verò iſto certę ſunt perſonarum, rerum & factorũ qualitates, requiſita, & accidentia varia, ſeu communia, ſeu propria. In perſonis & rebus communiter ac generatim in plerisque omnibus negociis attendendum, an Eccleſiaſticæ, an politicæ, publicæ an privatę: ſed in perſonis ſolis generatim, an homo ſit liber an ſervus: mas an fæmina, pubes an impubes, majorennis an minorennis, ſanus corpore vel ægrotus, ſui juris an alieni. In rebus ſolis generatim attenditur, an corporales, an incorporales; mobiles, immobiles; an in cõ-

mercio hominum, nec ne: Item an propriæ, an alienæ. Porró in perſona facientis ex principiis & fundamentis Ethicis ac Politicis diligenter conſiderandus & diſtinguendus eſt animus facientis; quandoquidem is homini convenit, quatenus homo eſt: & animus quidem primó quoad intellectum & rationem: ut ſitne homo mentis compos, an impos: Item an ſciens faciat an ignorans: & ſi ignorans, an per imprudentiam, an per errorem, an veró caſu fortuito: item an excuſabilis ſit ignorantia vel error, an veró non excuſabilis: an juris, an facti. Deinde conſiderandus eſt facientis animus, quo ad voluntatem (quæ tamen ſcientiam iſtam vel ignorantiam præſupponit) nempe an volens faciat aliquis, an veró non volens, hoc eſt, vel coactus, vel excuſabili de cauſa ignorans: nam ſine juſta excuſatione ignorans, ſcienti ac volenti ut plurimum æquiparatur. Quó pertinet, an quis conſultó an inconſultó fecerit: an ex habitu vel ſine habitu, an ex bono an ex vitioſo habitu. Tertió quoad utrunque conjunctim, h. e. quo ad intellectum & voluntatem ſimul, præſertim tamen quoad voluntatem, ſpectatur diligentia, eique oppoſita negligentia & culpa. Item finis, conſilium, & ſcopus facientis. Denique animus facientis ſpectatur quo ad conſcientiam, eique conjunctam voluntatem: nempe an animo nocendi ac lædendi quis fecerit, nec ne: Item

Item an candidé an veró doloſé egerit: Item an bonâ, an veró malâ fide. Jus enim & juſtitia flagitant in negociis humanis primó diligentiam, & contrá averſantur negligentiam: Deinde ſtudium juvandi & commodandi alteris, flagitant, & contrá averſantur culpam & nocendi ſtudium: Denique candorem ac bonam fidem flagitant, & contrá averſantur dolum ſeu fraudem, & malam fidem. Atque hæc de perſonâ hominis facientis: qui ſe acquirit vel per ſemetipſum, vel per alios, poteſtati tamen ſuæ, ſeu veræ, ſeu quaſi ſubjectos. Supereſt factum perſonæ facientis. Actus veró & perſonas, & res, & factum, & Jus quod conſtituitur, continet. Factum autem conſideratur tum ipſum per ſe, tum ratione qualitatis, item conditionis, & variarum omnis generis circumſtantiarũ: conditionis, inquam, an ſcilicet factum ſit purum & abſolutum, an veró conditionale. Item an conditio illa ſit ſimplex an miſta, copulata an disjuncta, poſſibilis an impoſſibilis, eventualis an arbitraria, quæ vulgó caſualis & poteſtativa dicitur. Qualitas tamen non tantúm in facto, ſed in perſonis etiam ac rebus, & actu ipſo, conſideranda venit: & in rebus inſuper quantitas interdum. Atque hæc de rebus, perſonis, & facto perſonarum, deque Jure conſtituendo, & actu quo id conſtituitur. Actus veró iſte in delictis, & ratione delinquentis omnino eſt illegitimus,

titulo, quo modo, forma, & fine, aliquis ſibi Jus acquirere, vel iſtud in alium trāsferre poſſit. Deinde quæ Res, cujus qualitatis, & quantitatis in hanc vel illam obligationem, in hunc vel illum contractum venire poſſint, aut non poſſint. Item quo medio intercedente, perſonæ inter ſeſe de re contrahant, ut puta precio, mercede &c mediante. Tandem quali actu, ſimplicíne an ſolenni: quali facto perſonæ, quibus conditionibus ac circumſtantiis, ut puta, quo loco, quo tempore, hoc vel illud Jus conſtituatur, in quem locum, in quod tempus, & quandiu conſtituatur & referatur. Ubi mens quoque & intelligentia, ſcientia & ignorantia, voluntas, finis & conſilium; caſus fortuitus, & coactio, diligentia & negligentia, dolus & culpa, bona denique & mala fides (de quibus omnibus ſuprá) diligenter attendi & conſiderari debent.

Sed quoniam genus & generalia ægriús ac difficiliús absque ſpecialibus exemplis percipiuntur: agedum ſuperiora illa in contractu aliquo & obligatione ex contractu, nempe locationis-conductionis methodicé ac perſpicué demonſtremus, & qua methodo in his & plerisq; aliis Jurisprudentiæ materiis commodiſſimé uti poſſimus, nunc portó oſtendamus.

Obligatio rotundé definita, eſt Jus quo perſona obligatur ad præſtandum aliquid: nempe ad dandum, faciendum, aut ſolvendum, l.

obligationum 3. ff. de obligatione & actione: l. traditionibus, C. de pact. l. Juris gentium 7. §. 2. ff. eodem.

Præſtatur autem vel res, vel perſona: & res quidem vel ipſa, vel intereſſe ejus, vel utrumque ſimul. Obligationem conſtituit Jus, & factum hominis. Ex quo utroque diviſiones ſumuntur.

Quo ad primum: Obligatio alia naturalis eſt, alia civilis: Illa aut veré naturalis eſt; aut quaſi naturalis, h. e. Juris gentium, veluti plerunq;. Hæc, id eſt civilis obligatio, rurſus aut eſt civilis ratione Juris ſpeciatim ſumti, aut ratione æquitatis: illa civilis in ſpecie eſt, hæc veró prætoria; cui civilis ſpeciatim dicta ἀντιδιῃρημένως opponitur.

Deinde obligatio omnis, ratione facti hominis, vel ex conventione eſt, vel ex delicto. Conventio eſt legitimus duorum pluriúmve conſenſus in idem, dandi aut faciendi gratiâ, l. 1. §. conventionis. ff de pact. Legitimus autem hîc intelligitur honeſtus & licitus conſenſus, illorum ſcilicet, qui & conſentire poſſunt natura, & Jure non prohibentur. Neque enim omnes qui naturâ, etiam Jure conſentire poſſunt. Cujus rei generalis ac principalis cauſa, eſt judicium rationis infirmum, aut corruptum. Quosdam igitur ætas tenera impedit, quosdam animi vitium legibus deſignatum. Ætas impedit

impuberes; qui ſcilicet aut infantes ſunt, aut ultra infantiam progreſſi. Eorum qui plané infantes ſunt, nec naturalis, nec civilis obligatio eſt, quæ quidem ex ipſorum perſona initium capiat, §. pupillus. & §. ſeq. Inſtit. de inutil. ſtipulat. l. 5. ff. de regulis Juris: aliud autem eſt, quod ex hæreditariis obligationibus tenentur infantes, §. non autem. Inſtit. de perpet. & temp. act. l. ex contract. 49. de obligat. & actio. aliud item, quod tenentur, ſi ex re proveniat actio, l. 46. de obligationibus & act. l. 25. ff. familiæ hercisc. l. 29. ff. communi dividundo, l. 3. de negociis geſt.

Impuberes ultra infantiam progreſſi, ſunt vel infantiæ, vel pubertati proximi: Neutri per ſe ſoli contrahere poſſunt: veruntamen illi ex benignitate Juris, hi Jure ipſo, ex conventione ſua & obligant ſibi alios, & obligantur aliis, tum demum, cúm tutorum authoritas intercedit: ſine hac veró non item. l. 9. ff. de autorit. tut. d. l. 5. de regulis Juris. l. pupillus 189. ff. eod. l. 1. § antepenult. ff. de oblig. & act. Utrique tamen ſine tutorum autoritate, conveniendo poſſunt conditionem ſuam meliorem facere, deteriorem ſine illâ non item, Inſtit. de autor. tutor. in princ. l. contra Juris 28. ff. de pact. Minores puberes, curatores non habentes, contrahendo obligantur, l. puberes 101. ff. de verbo: obligat. Sed ſi curatores habeant, num ſine iis obligen-

tur,nondum ſatis expeditum eſt. Cujacius ad d. l.puberes, item lib.19. obſerv.c. 33. obligari eos exiſtimat, ſi tamen obligatio non ſit cum ipſa ipſius rei alienatione conjuncta. Cujacium probat Dn. Gothofredus ad d.l.puberes,Anto. Mercator in notatis ad animadverſiones Roberti,lib.1. cap.12. Vultejus disceptationum Juris c.16.

Animi vitium Jure deſignatum,conventionem impediens, eſt furor & prodigalitas: & furor quidem, quandiu durat, indiſtinctè: prodigalitas autem tum demum,cum ejus,qui prodigus declaratus eſt, conditio deterior fieri poteſt,l.12. ff. de uſucap.l. 6. de verb. obligat. l. 26. de contrahend.empt.l.3. de novationibus.l.15. §.1.ff.de caſtren. peculio.

Hæc de iis qui ob ætatem aut vitium animi contrahere non poſſunt. Quo ad poteſtatem ac ſtatum: filius in poteſtate patria conſtitutus, ex omnibus cauſis obligatur ceu paterfamilias: l.39.de obl.& act.l.7. de jud.l.55.§.2.pro ſoc. ſed ex ejusdem conventione & pater obligatus eſt ei,cum quo filiusfam. convenit, peculiotenus: ac viciſſim ſibi eum habet obligatum. Inter patrem & filiumfamiliâs obligatio civilis nulla eſt, ſed naturalis duntaxat,§.12.hi qui.Inſtit. de obligationibus quæ ex delicto, § ſi ſervus, Inſtit. de noxalibus actionibus,l.1.C.de noxalibus actionibus.l. 10.ff. ad ſenatusconſult. Macedon.l.7. ff. de oblig.& act.

Ex ſervi conventione civilis obligatio ipſius nulla eſt, ſed naturalis tantúm: civilis autem ad dominum pertinet, l. 14. & 43. ff. de obligationibus & act. §. 1. Inſtitu. de ſtipulatione ſervorum, Inſtit. per quas perſonas nobis obligatio acquiritur, in princ.

Porró conſenſus conventionalis præcipué ſcil. ſpectandus in conventionibus; aut verus eſt, aut fictus & quaſi conſenſus; & verus iterum aut expreſſus aut tacitus: tacitus, nimirum, cúm quis non prohibet diſſenſu ſuo id quod diſſentiendo prohibere poterat, §. s. ſed etſi pater, Inſtit. quibus modis jus patri. poteſt. ſolva. l. 2. in princ. ff. ad municipal. l. 7. in fin. ff. de decurionibus, l. fin. C. de adoptio. l. ſi ut proponis. C. de nupt.

Fictus conſenſus eſt á lege ſeu Jure præſumptus; idque propter factum aliquod & naturam rationemq; negocii, quod inter utramq; convenientium partem eſt: cum alioqüin extra hanc conſiderationem, de conſenſu partium convenientium nihil conſtet.

Conſenſus denique conventionalis, quandoque purus eſt, quandoque conditionalis: atque exinde conventio & obligatio quędam pura eſt (nempe nulla conditione ſuſpenſa) quædam veró conditionalis, hoc eſt, conditione quadam ſuſpenſa; veruntamen poſſibili & honeſta cõditione, §. ſi impoſſibilis, Inſtit. de inu-

tilibus ſtipul. l. ſi homo 69. de verb. obligat. l. impoſſibilium 183. de reg. Jur. l. 1. §. 11. & l. 31. ff. de obligationibus & action.

Hactenus de affectionibus generalibus conventionis, & conſenſus ad eam ipſam neceſſarii. Nunc de ſpeciebus conventionis; idque ratione conſenſus, diverſimodé ſcil. informati.

Conventio igitur conſenſu nititur, nempe vel cauſa vacuo ſeu deſtituto, vel cauſa fulcito. Conventio ex ſolo conſenſu ſine cauſa, eſt pollicitatio vel pactum.

Conventio, quæ cauſam habet, contractus dicitur: Contractus igitur eſt conventio duorum pluriúmve cum cauſa, (cui ſubeſt cauſà) l. 7. ff. de pact. Cauſa veró eſt negocium contrahentium á Jure civili probatum, obligationem firmam exinde, & actionem pariens. Negocium iſtud generatim eſt datio vel factum: Et id vel alterutrum, vel utrunque ſimul.

Contractus ratione materiæ, id eſt, conſenſus, aut verus eſt, aut quaſi contractus.

Contractus verus autem ratione formæ, id eſt cauſæ, eſt vel nominatus, qui ſcil. cauſam habet jure ipſo definitam, nomineque proprio appellatam: vel innominatus, qui ſcil. negocium quidem civile habet (hoc eſt dandi aut faciendi) nullum tamen ex Jure civili nomen peculiare, nullamque peculiarem nominatæ ſpeciei informationem, l. 7. ff. de pact. l. 1. ff. de rerum permuta-

permutatione, l.13. & l.3. de præſcript. verb. l. 1. ff. de æſtimatoria.

Contractus nominatus vel adminiculo quodam ad conſenſum ſtatim ſimul accedente, perficitur, non autem nudo & ſolo conſenſu, vel ſine adminiculo inſuper accedente, id eſt, conſenſu ſolo. Adminiculo ad conſenſum ſtatim accedente perficiendus, aut re perficitur, aut verbis, aut literis.

Contractus re perfecti, nempe re præſenti, tradita & accepta; ſunt quatuor potiſſimùm, mutuum ſcil. commodatum, depoſitum, & pignus. Contractus nominatus qui verbis perficitur, eſt verborum obligatio, ſeu ſtipulatio: qui literis perficitur, eſt literarum obligatio. Contractus, qui ſolo cõſenſu perficiuntur, ſine iſtiusmodi adminiculo; ſolo conſenſu, inquã, ſi ſcilicet genuinam & propriam ipſorum naturam ac ſubſtantiam ſpectes, ſunt quatuor; emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, & mandatum.

Contractus nóminati quo ad originem, omnes ſunt Juris gentium, excepta verborum ac literarum obligatione: Formam tamen certam, certumq; nomen á Jure civili acceperunt non tantúm hi, ſed etiam illi: Hi tamen meré civiles ſunt: quia non tantúm ſpecifica & finali informatione, ſed etiam primâ origine civiles ſunt.

At veró (quæſiverit aliquis) cur poſtremi illi conſenſu ſolo perfici dicuntur, cúm contractus plerique omnes in genere tales ſint, ut ſuper re aliqua fiant? Reſpondeo equidem, contractus pleriq; omnes ſuper re aliqua fiunt: nec ullus eſt, in quo neceſſe non ſit adeſſe conſenſum: Sed hæc tamen in aliis magis, in aliis minus ad ſubſtantiam & formam ſpecificam conferunt. Itaque mirum non eſt, ſi á conſenſu tanquam principaliori denominentur hi, qui conſenſu perfici dicuntur: non quód hi ſoli conſenſum habeant, ſed quód ad horum perfectionem, naturam & ſubſtantiam, non deſideretur ulla rei præſentia, ut in iis qui re perficiuntur, non verba, non literæ; ſed conſenſus ſolus ſufficiat; qui tamen ſuper re plerunque interponitur, eaque accedente conſummatur; V.l.1. & 14. ff. locati, l. 24. C. eod. l. 2. de oblig. & actio. Inſtit. de oblig. ex conſenſu. l. 17. C. de pact. & ibi Gothofredus, Bocer. ad l. 23. de Reg. Jur. c. 4. n. 9. D. Treutl. disput. ff. de locatione. theſ. 1. lit. C.

Proinde contractus ex conſenſu, absque rei præſentia & traditione contrahuntur, firmique & efficaces ſunt: Re tamen accedente tandem penitus abſolvuntur & conſummantur, l. 6. in fin. l. 5. l. 53. de contrah. empt. l. 2. §. 1. de oblig. & actio. Inſtit. de obligatio. ex conſenſu.

Secus eſt in contractibus, qui re ineuntur ac perficiuntur, ut eſt mutuum, commodatū &c.

illorum

illorum enim cauſa, id eſt datio, ſita eſt in eo, ut rem omnino præſentem eſſe ac neceſſarió tradi oporteat, ut contractus dicatur initus. In cæteris autem contractibus, nempe conſenſu perfectis, ſtipulatione, &c. ut maximé de re aliqua fiant, ad ipſorum tamen perfectionem neceſſe non eſt rem eſſe præſentem, ſed fieri poteſt, ut res ſit alio loco, & contractus quoque alio loco celebretur. Denique quo ad perſonas: inter abſentes etiam, per Epiſtolam, vel nuncium, contractus ex conſenſu celebrari poteſt, Inſtit. de obligat. ex conſenſu, l. 2. ff. de obligat. & act. l. 1. fin. de contrah. emt.

Atqui ſcriptura (objecerit quis) nonnunquam in hoc contractus genere, ut puta in emtione-venditione, omnino neceſſaria eſt: proinde non ſolo conſenſu perficiuntur iſti contractus. Reſpondetur: Secundúm naturam & ſubſtantiam ſuam conſenſu ſolo perficiuntur, ut videlicet nec rem præſentem eſſe, ac tradi, neceſſe ſit, nec verba aut literas intervenire: Sed præter genuinam iſtorum contractuum naturam & ſubſtantiam, vi pacti quandoque fieri poteſt, ut ſolus conſenſus non ſufficiat: quandoquidem pacta contractibus dant formas, iis præſertim qui conſenſu perficiuntur, l. 7. § adeó 6. ff. de pact. Ergo ſi contrahentes, in ſcriptis contrahere velint, ut puta emptionem-venditionem in ſcriptis celebrare: tum ſané ſcriptura in

emptione-venditione neceſſaria erit, l.2. ff. de contrahend. empt. l. contractus 17. C. de fide inſtrument. Inſtitutis de emptione & venditione, in princ. verſ. in iis autem quæ ſcriptura.

Contractus conſenſu perfecti, partim in re ſunt, partim circa rem. In re exiſtentes, ſunt vel dominii, ut emptio-venditio, in ea enim agitur de transferendo dominio, vel ſunt uſus, ut locatio cōductio; in ea enim agitur de transferendo uſu. Circa rem ſunt, in quibus agitur vel de communione inter plures, ut eſt ſocietas: vel de facto ſeu officio aliquo expediendo, ut eſt mandatum.

Sunt autem hi contractus omnes bonæ fidei; proinde ex æquo bono, in his quandoque debentur etiam ea, de quibus nominatim inter partes nil convenit, quæque nec verbis nec literis ſunt expreſſa; quia ſcil. hoc æquitas inter bonos (nam inter bonos bene agier oportet) poſtulare videatur; adeó quidem, ut vir bonus illa, ex natura conventionis ipſius, (ſi modó vir bonus eſt) ipſemet ultró præſtare cupiat, id quod explicatur tit. de actio. Inſtit. §. 25. vid. l. 1. de contrahend. empt. l. 2. fin. ff. de oblig. & actio. Inſtit. de oblig. ex conſenſu, in fine.

Atq; hęc eſt προθεωρία ſeu προπαρασκευὴ generalis contractuū: præſertim eorum, qui conſenſu perficiuntur: nunc in ſpecie de contractu locationis-conductionis, quem methodicé interpretandum,

pretandum ac ſuperius tradita παραδειγματικῶς demonſtranda ſumſimus, pervideamus.

METHODICA ISTA DE LOCAtione-conductione commendatio ſeorſim excuſa eſt.

FINIS.

G iiij

DE TOTO PRÆSENTE JURE CHRISTIANO-ROMANO: EJUSQUE LIBRIS, & autorib. principiis, generib. objectis &c.

DIATRIBE TERTIA.

TOTUM hoc Jus præſens generale (nempe Chriſtiano-Romanū) illud eſt, quo omnes quotquot Chriſtiani videri volunt, per Europam in Imperio Romano, verſus occaſum ſcilicet ſolis, utuntur: Quod Chriſtiano Romanum, vel occidentale, appellari poteſt. Præſens, inquam: ſemper enim ad præſentem Rempublicam, & quod Jus in ea ſit uſitatum, ſpectare neceſſe eſt: quippe cúm Jus hoc ſolum ſit, quod Rempublicam conſtituit & ſervat: præſens ſcil. Jus, præſentem Remp.

Quod ita ad omnium, & ſingulorum, ſalutem ac felicitatem pertinet: Quo modo in 12. tabulis præcipuum & æternum illud caput fuit; Salus populi ſuprema lex eſto. Itaque Juſtinianus etiam ipſe hoc ſolum Jus ſe velle tradere, in procemiis oſtendit, quod ſuo tempore in Republica uſu celebraretur: cúm reliquum interim fabulas vocet ac rejiciat.

Atque ut totum hoc negocium illuſtrius ſit, breviter hîc memoria repetendum; olim Imperium Romanum unum idemque in toto terrarum orbe, verſus orientem & occidentem ſolem fuiſſe. Et cúm ſedes ejus diu Romæ in Italia ſtetiſſet, poſtea in Græciam & Thraciam Conſtantinopolin, quæ nova Roma dicebatur, translatum fuiſſe: quod Græco-Romanum videtur vocari poſſe: Et ibi tandem Juſtinianum Imperatorem omne Jus ſuperius ſeu antiquius Romanum, & quodcunque novum acceſſiſſet, compoſuiſſe: Et poſt Juſtinianum hoc imperium annis abhinc octingentis diviſum fuiſſe, & quod verſus Orientem eſſet iſtic, dum á Turcis occuparetur, ſuos habuiſſe Imperatores, alterum autem, quod in Europa verſus Occidentem ſolem eſſet, ad Germanos veniſſe, & hoc primum Carolum cognomento Magnum tenuiſſe: Et ita illud Orientale, hoc Occidentale cœpiſſe dici: Et Lotharium Saxonem, Imperatorem ſcilicet Germanico-Romanum annis abhinc quadringentis, auctore Irnerio vel pôtius Wernhero, qui diu Conſtantinopoli fuiſſet, Conſiliario, Juſtinianeum Jus in hoc Imperium introduxiſſe; & illo ipſo feré tempore, cúm Pontificis Romani poteſtas invaluiſſet interim ſimile quoddam Jus Pontificale compoſitum fuiſſe.

Iſtud Jus præſens omne, ita demum Cæſareum &

um & Pontificale eſt, quod nunc Civile & Canonicum dicitur: ſive ſcriptum hoc ſit, ſeu non ſcriptum. Scriptum deinceps vel uno opere & quaſi corpore comprehenſum, vel non comprehenſum.

Itaque ſcriptum illud, ſeu Cæſareum ſeu Civile, & quidem uno comprehenſum corpore, vel Juſtinianeum illud Jus eſt, à Lothario in hoc Imperium introductum, vel alterum, quod paulatim ab aliis Germanico-Romanis Imperatoribus conſtitutum. Juſtinianeum autem illud Jus eſt, quod Juſtinianus, cúm adhuc integrum Imperium eſſet, maximé ad illam Rempublicam, quæ, inquam, Græco-Romana dici poteſt, tuendam, conſtituit. Quod Jus partim ex ſuperiore antiquo Romano collectum, varié interpolatum, & mutatum, partim novum conſtitutum, ſua ſolius auctoritate ſancivit ille, & reliquum omne abolevit. Quod quale ab illo ſancitum, ita in hoc Imperium introductum eſt. Quanquam quod proprium Civile eſſet, vel ad Imperii hujus formam pertineret, non ex illo mutatum fuit, ſed ſalvum adhuc manet. Hoc Jus libris, titulis, legibus, paragraphis diſtinguitur; Leges autem nunc ſingula quaſi capita dicuntur, quæ ſuis auctoribns maximé antiquis diſtincta.

Paragraphi deinde ſingulæ Capitum illorum ſententiæ ſunt; quæ á nonnullis Reſponſa

etiam dicuntur. Quod Jus vel anteceſſit Inſtitutiones Juſtinianeas, vel conſecutum eſt.

Illud, quod anteceſſit, in Pandectis ſeu Digeſtis cernitur, & in priore Codice poſitum erat. Quanquã attinguntur etiam in illis quædam Conſtitutiones, quæ cúm priorem illum Codicem ſecutæ fuiſſent, anteceſſerant tamen Inſtitutiones.

Pandectæ Jus omne illud antiquius perpetui edicti formâ ab Hadriano Imperatore per Salvium Julianum Jurisconſultum ex legibus majorum magiſtratuum, Senatusconſultis, Orationibus principum, & aliis, compoſitum, & á Jurisconſultis illius memoriȩ explicatum & diſputatum continet, interpolatum quidem alicubi & mutatum, & quaſi methodico ordine digeſtum: ſicut pleniús ex procemiis intelligitur.

Pandectæ, prȩterquam quód libris quinquaginta conſtant, diſtinguuntur etiam partibus ſeu tractatibus majoribus ſeptem, & deinceps aliis, de quibus ſupra. Codex deinde prior ille ſimili forma Conſtitutiones; id eſt, Decreta & placita Imperatorum, ex aliis Codicibus, ut Theodoſiano, Gregoriano, Hermogeniano; delectas & interpolatas, & præterea Juſtiniani quasdam comprehenderat.

Inſtitutiones igitur ſummam quandam Juſtinianei Juris illis duobus voluminibus ſanciti,

continent.

continent. Quo interim iſtæ novæ Conſtitutiones acceſſerant: ſicut ex proœmio Pandectarum tertio apparet.

Conſecutum deinde Jus Inſtitutiones illas, in poſteriore, hoc eſt, novo Codice & Novellis conſtitutionibus Juſtiniani ſpectatur.

Codex ille novus duodecim diſtinctus libris, conſtitutiones videlicet ſuperiorum Imperatorum inde ab Hadriano ad Juſtinianum variè illas quidem interpolatas & emendatas, & alias præterea Juſtiniani proprias, & in his illas poſt priorem iſtum Codicem editas complectitur. Hic Codex, quoniam prior magis abrogatus, emendatus, & repetitæ prælectionis dicitur: ut clariùs apparet ex proœmiis.

Memoria autem repetendum, initio ſtatim Imperii ſui Juſtinianũ incubuiſſe ad Juris compoſitionem, & tertio circiter anno edidiſſe priorem illum Codicem, deinde quinto & ſexto compoſitas Pandectas, & vix illis abſolutis, ſimul compoſitas Inſtitutiones & novas conſtitutiones, quæ priorem iſtum Codicem ſecutæ eſſent, alicubi inſertas fuiſſe, & utrasque deinde ſeptimo ſimul fere editas, & deinceps anno octavo, novũ iſtum Codicem compoſitum & editum fuiſſe, ſicut ex ſubſcriptionibus proœmiorum planum fit.

Quanquam igitur dubitari poteſt, an conſtitutiones nonnullæ, quæ in Inſtitutionibus ad-

huc manent, & in poſteriore iſto Codice non reperiuntur, abrogatæ ſint: tamẽ cúm in procemio iſtius Codicis appareat integras Inſtitutiones editas, eó quód Græcę eſſent; imperitia ſcribendi prætermiſſæ magis videri poſſunt, quám abrogatæ.

Quomodo Lotharius etiam Inſtitutiones iſtas tanquam integras introduxit.

Quod volumen pariter atque Pandectæ ipſæ ſuis quibusdam tractatibus, & aliis iſtis, de quibus infrá, diſtinguitur.

Novellæ deinde, Conſtitutiones Juſtiniani aliæ, ita paulatim, ut negocium aliquod poſtulaverat, ſecutæ fuerunt: quæ Authenticorum nomine, quaſi dicas eorum, quæ rata & firma ſint, appellari ſolent: cum ſemper poſteriores ſanctiones plus valeant: quæ ipſæ vocantur etiam parvum volumen: quanquam poſtremi tres libri Codicis, & quædam alia á nonnullis adduntur.

Quæ novellæ conſtitutiones diſtinctæ ſunt, neſcio á quo, in Collationes novem, quaſi Græcé ζυμϐολάς, putaverim: & hæ rurſus in Titulos, Tituli in Capita ſeu Paragraphos: quanquam nunc Capita etiam majores partes quædam fuerint: Atque ita Novellæ numerãtur nonaginta octo. His deinde additur á nonnullis Collatio decima, aliarum Novellarum Juſtiniani: quas in iſto Juſtinianeo Jure per Lotharium introducto

introducto non facilé inveneris: quam ob rem nec gloſſis illuſtratæ fuerunt.

Ex his Novellis ab Irnerio illo decerptæ ſunt ſententiæ, quæ Codici paſſim inſertæ ſunt, & Authenticæ dicuntur.

Deinde Jus alterum illud ſequitur, quod illo etiam comprehenſum corpore; á Germanico-Romanis Imperatoribus paulatim cōſtitutum, & Juſtinianeo iſti Juri additum eſt.

Quod tum in libris Feudorum, tum in Extravagantibus quibusdam Conſtitutionibus ſpectatur.

Libri Feudorum, Jus de beneficiis ad fidelitatem cúm pacis, tum veró belli tempore obligantibus exponunt. Sic enim á bellicis, ſeu ſimilibus, obligationibus Germanico vocabulo videntur Feuda dici.

In his libris partim conſuetudines ſunt de illis Feudis, partim conſtitutiones nonnullæ.

Conſuetudines (unde etiam libri illi conſuetudines & uſus feudorum dicuntur) inde á ſuperiore Germanico-Romano Imperio, imó inde á Longobardis Germanis profectæ, & paſſim in toto Imperio celebratæ.

Quales nunc, cúm ſcriptæ & Juris Civilis corpore comprehenſæ ſint, Juris ſcripti inſtar habent. Deinde conſtitutiones de Feudis admiſtæ ſunt Conradi Lotharii, & Friderici, Imperatorum.

Hiſtoriæ autem cauſâ repetendum, formam quandam Imperii Chriſtiano-Romani inde á Carolo Magno, cúm in aliis nationibus, tum in Germania repræſentari. Feuda enim tanquam Fœdera & vincula Imperii inter ſummos quosque, medios, & infimos intelliguntur eſſe. Hujusmodi deinde Imperium in Germania magis ac magis iſtâ aureâ, quæ dicitur, Bullâ ſancitum, de qua infrá iterum.

Deinde extravagantes dicuntur aliæ Imperatorum Conſtitutiones additæ, nimirum quód extra Jus illud Juſtinianeum quaſi vagentur. Cujusmodi ſunt Friderici ſecundi, Imperatoris, de negotiis quibusdā Eccleſiaſticis, tum Henrici ſeptimi Imperatoris de rebellibus: pertinet enim ad pacem publicam Imperii: tum illa de pace Conſtantiæ facta inter Fridericum ſecundum Imperatorem, & ejus filium Henricum: quæ pacificatio etiam ad totum Imperium ſpectat: quanquam quidam proprié Conſtitutionibus Henrici ſeptimi Imperatoris extravagantium, etiam collationis undecimæ nomen tribuant.

Non comprehenſum deinde Jus illo corpore, in aliorum quorundam Imperatorum, vel eorum qui nunc in ſuis regulis pares illis videri volunt, Conſtitutionibus cernitur.

Cujus generis ſunt (ne de aliis nunc dicam) in hoc Germanico-Romano Imperio, quæ & Ordinationes

Ordinationes & Receſſus Imperii dicuntur. Talis eſt Conſtitutio Caroli quarti de ſtatu Imperii, quæ aurea Bulla dicitur. Item Friderici tertii, de pace publica; quæ certé ſalus Imperii: quæ ſæpius confirmata deinceps & amplificata: Item Maximiliani primi de judicio & proceſſu Camerali; de Notariis: Tales multę aliæ, Caroli quinti, Ferdinandi, Maximiliani ſecundi, ad hanc uſque memoriam.

Neque veró Jus Orientale, quod Juſtinianeum illud ſecutum fuit, ad hoc imperium pertinet: cum Lotharius non niſi ſolum illud introduxerit; ſicut ſuperiús monui. Itaque nec Juſtinianeum Jus ipſum, ſicut in Oriente Græcé converſum, aut deinceps emendatum aut ſuppletum, auctoritatem ullam in hóc Imperio habet.

Sed quanquam illud Jus Orientale ad hoc emendandum & ſupplendum parum facit, tamen rectiſſimé ad hoc ipſum collatione quadam illuſtrandum & comprobandum videtur adhiberi poſſe. Qua de re intereſt Viglii Zuichemi procemium ad Inſtitutiones Theophili, quod ad Carolū Quintum Imperatorem ſcripſit, legere: ubi hortatur etiam illum, ut pleraq; velit ſua auctoritate confirmare, & in Imperium hoc inducere.

Atque hactenus de Jure Civili.

Jus deinde ſeu Canonicum ſeu Pontificale,

ſcriptum illud eſt, quod Romani Pontifices, ut ſuprá jam attigi, cúm eorum auctoritas invaleſceret, & Imperii poteſtatem aliquam ſibi vendicarent, imitatione quadam Civilis Juris, ſicut videtur, conſtituerunt.

Ubi quamvis multa ſunt, quæ ad Imperium proprié non pertineant, ut Eccleſiaſtica, & alia: tamen & hujusmodi ſané plurima ſunt, quæ ad Civilem quandam Reipublicæ formam ſimul videntur ſpectare, aut quæ ſaltem tanquam Jus commune, in Imperio paſſim uſurpātur. Quod deinde Jus ſimiliter vel comprehenſum ſeu Opere ſeu Corpore aliquo, vel non comprehenſum.

Illud, ſcilicet comprehenſum, vel primum quoddam eſt, vel paulatim additum.

Ita primum quoddam eſt in voluminibus, quæ dicuntur Decretum & Decretale.

Decretum per Gratianum quendā ex Conciliorum, Epiſcoporum, priſcorum Theologorum, qui Patres dicuntur, & ſimilium ſententiis & canonibus, quaſi discordantibus conciliatis, Pandectarum ſimilitudine quadam, compoſitum eſt, & auctoritate Pontificis Romani Eugenii comprobatum: quod ita demum discordantium Canonum concordia, vel concordantia etiam dicitur. Quod volumen plerisque diſtinctionibus, ut nunc vocatur, & cauſis & tractatibus diviſum, illis conſtat canonibus. Ubi paſſim

paſſim conciliationes & concordantiæ Gratiani interpoſitæ.

Diſtinctiones numerantur 101. Cauſſæ, id eſt, negocia, explicata ſunt 36: quæ præterea quæſtionibus diſcernuntur. Tractatus ſunt duo, ut de Pœnitentia & Conſecratione: qui iterum ſuis etiam conſtant diſtinctionibus. Atque hinc fit, quia tractatus ſunt duo, ut quidam Decreti partes quatuor numerent.

Decretale, ſimile Codicis volumen, Pontificum Romanorum epiſtolas Decretales, tanquam Conſtitutiones quaſdam continet.

Decretale autem triplex eſt, ut Gregorii Noni, Bonifacii Octavi, & Clementis Quinti, Pontificum Romanorum.

Quorum trium Decretalium unumquodq; quinis conſtat libris: & ſecundum, quia ſequeretur quintum Decretalium Gregorii librum, totum dicitur Sextus Decretalium: & tertium Clementinarum; ſcilicet Decretalium epiſtolarum, nomine appellatur & citatur.

Quod deinde volumen ita diſtinguitur, non ſolum libris iſtis, ſed titulis etiam & capitibus ſeu capitulis. Nam ut in Decreto dicuntur Canones, ita hîc capita.

Quod deinceps Jus additum in hoc Corpore eſt, ſpectatur in aliorum conſequentium Pontificū Decretalibus epiſtolis quibuſdam: Quales ſunt Joannis vigeſimi ſecundi Pontificis, &

illæ, quæ dicuntur Extravagantes communes.

Non comprehenſum autem Jus illo Canonico corpore, eſt, quod in aliis Conciliis & aliorũ Pontificum Decretalibus epiſtolis verſatur, cujus generis eſt Concilium illud Tridentinum, nuper celebratum.

Sed cùm de exemplaribus utriusque Juris illius, præſertim quia editiones aliæ aliis emendatiores & meliores videri volunt, multiplex quæſtio ſit; nulla equidem Autentica, id eſt firma ratáque in Imperio exiſtimaverim, quæ in Imperio, in quam, ab illo uſque tempore, cum Jus vel per Lotharium induceretur, vel alioquin conſtitueretur, uſitata fuerunt. Qualia profectò illa ſunt, quæ Gloſſis & interpretationibus Doctorum, id eſt Juriſconſultorum, illuſtrata & in Bibliothecis Europæ paſſim ſervata, jam olim typis edita ſunt.

Quanquam enim error aliquis nimis ſtudioſóque novitatis videatur uſpiam occurrere: tamen quia longa conſuetudine ſic Jus receptum in Imperio fuit, maximé in rebus hujusmodi indifferentibus Juris auctoritatẽ nihilominus habuerit. Neque enim emendationes & correctiones ullæ, quæ præſertim contra receptam in Imperio ſententiam pugnaverint, quamvis ab eruditiſſimo factæ, approbari poſſunt. Non enim niſi publicæ auctoritatis eſt, ſicut Jura ſancire, ita emendare & corrigere.

Hactenus de Jure ſcripto.

Non-ſcriptum deinde Jus eſt, ſeu Civile, ſeu Pontificale; quod in generali aliqua totius Imperii conſuetudine poſitum.

Huc deinde, quanquam magis ad ſcriptum illud quaſi corpore aliquo comprehenſum Jus accedunt ſcilicet Gloſſæ, item interpretationes & diſputationes Doctorum, & alia generis ejusdem: quæ quodammodo ſcriptum aliquod Jus faciunt, communi nimirum quadam totius Imperii auctoritate & conſuetudine.

Tales ſunt Gloſſæ, ut hoc addam, quas Accurſius ex Martini, Bulgari, Azonis, Placentini, & ſimilium, ſcholiis collegit ad Jus civile: & Bernardus quidam ad Jus Canonicum.

Doctores, quanquam multi ſunt, tamen Bartolus & Jaſon in Jure Civili, & Abbas Panormitanus & Felinus in Jure Canonico, plerorũque omnium Doctorum inſtar ſunt.

Neque veró ſi quidam celebriores ſunt, cæteri tamen non parem de Jure condendi, & diſſerendi auctoritatem, magis privilegiis Academiarum & Imperii conſuetudine, quám vel Auguſti Cæſaris, vel Juſtiniani beneficio habent. Ita ſummam, id eſt, epitomen in Jure Civili Azo, in Canonico autem Cardinalis Hoſtienſis erudité & diligenter confecerunt.

Utrumque autem, vel potius totum Jus illud, accuraté contraxit Guilielmus Durandus in Juris ſpeculo, unde Speculator dictus. Quan-

quam & Hoſtienſis Civile Jus alicubi ſimul attingit.

Si quid interim pręterea Reipublicæ neceſſitas flagitat, rationi & prudentiæ eorum, qui Imperium habent, relinquitur, & ſæpe Senatus celebrioris, aut Doctorum disputantium auctoritate quadam, non ſine Imperii conſuetudine deciditur. Quomodo curiarum nonnullarum Deciſiones, & Doctorum ſeu ſententias, ſeu opiniones, ſané plurimas habemus, ubi nullum alioqui Jus extabat. Quanquam ita ſæpé etiam Jus, ſi quod ſimile fuerat, argumento collato, ad conſequentiam producitur.

Sed hactenus de Toto Jure: Nunc de inventione & compoſitione illius deinceps aliquid attingendum videtur.

DE INVENTIONE JURIS.

INvenitur ſcilicet primũ Jus, non ſolúm hoc Chriſtiano-Romanum, ſed quodcunque etiam aliud, de negociis propoſitis Reip. Imperii cauſſa, ex principiis Phyſicis, Ethicis, Politicis, OEconomicis: de quibus egregié Cicero ex Platonis præſertim & Ariſtotelis philoſophia in libris de officiis & legibus & reliquiis illis, quas habemus de Republica, & præterea in libris Oratoriis, quippe, quod ad cauſarum genera attinet, magis Politicis.

Deinde invenitur Jus ex aliis etiam principiis, tan-

is, tanquam accidentibus, Logicis videlicet, & Mathematicis.

Ex Logicis, inquam, ut Dialecticis, Grammaticis, Rhetoricis: de quibus Cicero in Topicis ad Trebatium Juriſconſultum, & in partitionibus, & de Oratore & libris de Inventione.

Ex Mathematicis, inquam, ut Arithmeticis & Geometricis: de quibus aliquid Cicero lib. I. de Oratore, item Varro, Columella & alii de Re ruſtica, & Vegetius de Re militari: de quibus omnibus, accidentibus nimirum principiis, in utroque Jure attingitur, cúm in aliis, tum in titulis iis, qui de verborum ſignificatione inſcribuntur.

Neque alienum fuerit, quod de his omnino omnibus principiis Quintilianus in Oratoriis Inſtitutionibus (qui libri ſané etiam ad Remp. tractandam ſcripti ſunt) tradiderit, cognoſcere.

Neque interim prætereunda ſunt, quæ iſtis omnibus conſentanea attingunt, qui philoſophorum antiquiſſimi recté dicuntur, poëtę præſertim Græci.

Quó deinde paſſim accedit Hiſtoria, cúm alia Romana, tũ cujusque negotii propria: Atq; ita apud nos Chriſtianos præterea etiam Hiſtoria Biblica & Hiſtoria Eccleſiaſtica.

In his autem omnibus quæ probabilia ſunt magis quám neceſſaria, & ita contingentia & indifferentia, multum valet auctoritas ſapien-

tum,& eorum qui cum imperio ſunt: In cæteris veró cedit auctoritas æternæ rationi & naturæ, vel Deo potius: Neque enim ſi quid addat illa, aut demat: ad negócii naturam pertinet.

Quanquam ſciendum, quód illi, qui ita ſuperiores ſunt in rebus iſtis mediis & indifferentibus, ſtatuerint, Dei etiam, cujus perſonam in terra gerunt, auctoritatem habere, & religioſé ſanctéque ſervandum eſſe, ut Cicero divinis noſtris literis convenienter 3. de legibus oſtendit.

Atque hinc videlicet ſequuntur præcepta Juris: quæ ſicut aliarum artium, ita omnino vera, ut jam oſtēdi, intelligi, & quám fieri poſſunt generaliſſima, & denique propria eſſe debent. Quamobrem Cicero non obſcuré notat eos de legib. primo & ſecundo, qui naturam negligerent, nec veritatem auctoritatemque Juris in præſenti Reipublicæ utilitate ponerent.

Quomodo idem Cicero de Orat. lib. 2. reprehendit Juriſconſultos illos, qui ea, quæ ubique viro aut mulieri reſponſa eſſent, in commentarios Juris referrent, & ſic illa non ad certa genera cogerent, ut de Orat. 1. attingit, ſed quæ in una notione poſita eſſent, in infinita dispertirentur, ut de Legib. 2. addit. Unde quamvis Jus ſciant, tamen Artem docendi Juris neſcire ibidem arguit: Unde ita demum neceſſe ſit ſtudioſum paſſim carpentem & undique colligentem, vix tandem

tandem aliquando repleri Juris ſcientia, ut 1. de Orat. ſubjecit. Quomodo etiam reprehendit Juriſconſultos lib. 2. de leg. qui, quod tum fuerat, Jus Pontificium cum civili confunderent.

Hinc præcepta illa ſunt Definitiones & Diviſiones generum Juris, item illæ etiam definitiones, quæ cúm generaliter verę eſſe debebant, exceptionibus & diſtinctionibus ſupplendæ fuerint: quæ ita nimirum etiam theſes, regulæ, & axiomata Juris dicuntur. Itaque Cicero in Bruto vehementer laudat Servium Sulpitium Juriſconſultum, qui, quæ alii de Jure confuſé tradidiſſent, in genera coëgiſſet, ac definiendo & dividendo illuſtraſſet: & in offic. lib. 3. laudat C. Aquilium Juriſconſultum, qui definiendi peritia excelluiſſet.

Quod conſilium generaliter Jura tradendi, Pomponius, Celſus, & alii Juriſconſulti, ex Theophraſto & aliis philoſophis, tit. de legib. in Pandectis prudenter laudarunt, & ipſimet accuraté ſecuti ſunt, ut apparet ex Pandectis, & inſcriptione librorum, quos edidiſſent: quorum catalogus etiam Digeſtis præponitur. Hujus generis ſunt libri regularum, definitionum, differentiarum ſeu diviſionum, & ſimilium. Quomodo etiam Neratius Juriſconſultus, tit. de ignor. jur. & facti, Jus, ait, finitum eſſe, & poſſe & debere.

Atquę hinc videlicęt elucet, ex cujusmodi

præceptis & enuntiationibus Juris ars conſtare debeat.

Quæ quidem ars cúm in philoſophia illa & hiſtoria, generaliſſima quædam intelligatur: Jus Romanū aut aliud quaſi ſpecies & exemplum ejus videri poterit: ut eleganter Cicero ille de Legib. lib. 1. oſtendit.

Atque hîc interim de autoribus, qui ex illis principiis Jus Romanum inveniſſent, attingendum videtur.

Ad Jus igitur Civile ut redeam, & hiſtoriam Imperii Romani pauló altius repetam: Decemviri in ſtatu populari 12. tabulas propé ex Græcorum legibus, interprete Hermodoro philoſopho, deſcriptas propoſuerunt. Nam de Romuli, Numæ & aliorum regum Romanorum legibus nihil feré, quód regum nomen apud Romanos inviſum eſſet, in Jure illo deinceps attingitur.

Deinde in illo ipſo ſtatu populari Senatus & Populus Romanus, & ſimul Magiſtratus majores & minores Jura alia atque alia ſanciverunt: ut Senatusconſulta, Leges, Edicta, Plebiſcita.

Deinde in quaſi Regali ſtatu Imperii Principes, qui & Imperatores & Cæſares dicti, quód populi poteſtatem ſoli magis ſuſtinerēt, & tum præterea Senatus etiam aliquis, & Conſules etiam aliqui Jura ſtatuerunt. Cujus generis ſunt Orationes, & Decreta principum. Quo tempore &

re & Juriſconſulti auctoritatem reſpondendi & interpretandi adepti ſunt, unde reſponſa & interpretationes eorum paulatim Juris vim habuerunt. Qui Juriſconſulti ut non eaſdem philoſophorum ſcholas ſemper ſecuti fuerunt: ita diſſimilibus aliquando principiis uſi ſunt.

Deinde cúm Imperii ſedes Conſtantinopolin, quæ nova Roma dicta, transferretur, quamvis ſpecies aliqua Senatus & Conſulum adhuc ad Juſtinianum uſque manſit: tamen in unius principis poteſtate ut Imperium, ita ſanciendi Juris autoritas fuit. Hinc videlicet Conſtitutiones illæ tanquam Edicta & Decreta.

Deinde diviſo Imperio non diſſimilis ratio ſanciendi fuit tantiſper, dum ſenatus aliquis iterum Imperii conſtitutus, & populus nonnullam etiam autoritatem recuperavit. Hinc illæ Ordinationes & Receſſus Imperii apud nos. Neque conſuetudo introduci poſſet, niſi populi aliqua poteſtas eſſet.

Ac ut deinceps ad Jus Canonicum pergam: plures Patres in Conciliis & Synodis, tum ſinguli Pontifices, Epiſcopi & alii ſimiles iſtos canonas iſtasque epiſtolas Decretales ediderunt. Neque alienum fuerit iſtorum auctorũ, ſi non hiſtoriam plenam, certé nomina cognoſcere. Quomodo catalogos nonnullorũ apud Pomponium de origine Juris, & in capite Digeſtorum & Codicis præpoſitos videmus.

DE COMPOSITIONE JURIS.

Cum Jus, quamvis infinitum, in ſingularibus negotiis videatur: tamen, ut jam oſtendimus, certis generibus finiri & comprehendi poſſit, deinde genera illa quatenus generaliora aut minus generalia, diſtingui poſſint: nihil cauſæ eſt, quamobrem non ex Ariſtotelis & Platonis conſilio, ut in aliis fit artibus & literis, ita á generalioribus illis ad minus generalia ſimul definiendo & dividendo, & ſic ad ſingularia iſtá, & exempla viciſſim deduci: & quamtumcunq; hoc fuerit, explicari poſſit. Ita enim, ſi generaliora ſemper anteceſſerint, & quæ minus generalia ſint, conſequantur, luculentus naturâ duce á notioribus videlicet (genera enim cauſas ſignificant, quibus nihil notius & prius) ad minus nota ordo docendi & cognoſcendi fuerit.

Quanquam autem in componenda arte ab illo gneraliore ordine non facilé recedendum: tamen prudentia interdū pinguiore Minerva, ut dicitur, vel temporis, vel aliā diſtinctionem ſequitur.

Quum igitur de Jure Romano vehementer confuſo & diſperſo componendo Julius Cæſar cogitaſſet, ut Suetonius in ejus vita ſcribit: Ciceronis ſententia illa fuit, ut ex philoſophorum conſilio illo compoſitio omnis inſtitueretur: quemadmodum ipſe de Orat. 1. & de leg. 2. ex intima philoſophia prudentiſſimé oſtendit: & refert

refert Gellius Noct. Att.lib.1.cap.22.propriumq; aliquem hac de re librum ſcripſiſſe.

Quo quidem modo ſi compoſitum Jus omnino haberemus, profectó, ut Cicero ille ipſe de Orat.1.ait, haberemus Juris artem magis magnam & uberem, quám obſcurã & difficilem. Ordo videlicet ille & brevem,& facilem,& perſpicuam artem reddit.

Quanquam autem Cicero conſilium illud dedit;tamẽ de Orat.1.& de Leg.2.oſtendit, Hermodorum philoſophum, ſicut ſuprá attigimus, jam anté leges Græcorum & alias Romanorum,generibus diſtinxiſſe,& in 12.tabulis tali quodam ordine diſpoſuiſſe. Itaque de omni Jure divino & humano, publico & privato, in illis ſancitum fuiſſe, ex iſtis Ciceronis libris de legibus, quantum eorum reliquum eſt, intelligitur: ubi & tabularum iſtarum ordinem ſecutus,& eas quadantenus interpretatus fuit. Hinc nimirum idem ille Cicero de Orat.1.ait:Totam civilem ſcientiam de ſcriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, 12.iſtis tabulis contineri:quas,ſi quis legum fontes & capita attenderit, ait cum philoſophia ipſa certare. Hinc Livius lib.3. 12. tabulas ait in iſto immenſo tunc quoque aliarum ſuper alias acervatarum legumq cumulo fontẽ omnis publici & privati Juris eſſe. Neque diſſimile conſilium jam antéq fuiſſe Juriſconſultorũ eorum, quibus auctoribus com-

ponerent Prætores edictum, apparet adhuc paſſim in Pandectis, & Transitiones additæ ab Ulpiano & aliis ſatis demonſtrant. Ita enim ſimiliter de rebus divinis & humanis, de publicis & privatis, continuo & perpetuo ordine edixerant.

Quod, inquam, tum ex aliis Pandectarum locis, tum ex tractatu de interdictis, evidentiſſimé apparet.

Quanquam autem Julius Cæſar ad componendi illud ſtudium incubuit: tamen ſatis fortaſſe impeditus, nihil perfecit.

Deinde Hadrianus Imperator, cúm Jura magis ac magis cumularētur, & Reip. forma ſimul immutaretur, is fuit, qui autore Salvio Juliano Juriſconſulto tantum negotium non diſſimili conſilio aggreſſus fuit. Ille igitur ordinē iſtum Edicti prætorum ſecutus, ex omni ſuperiore Jure; quód nimirum Prætorum auctoritas paulatim tum ceſſaret, Edictum non annuum, ut illi, ſed perpetuum compoſuit. Ubi, ut paſſim in Digeſtis apparet, ſic á tota Rep. & ejus Imperio ad judicia & cauſſas forenſes, & in his ipſis ab iis, quæ antecederent litis conteſtationem, ad ea quæ ſequerentur, tum ante, tum poſt ſententiam proceſſum fuiſſe, intelligimus. Ubi interim genera Judiciorum & Actionum ea quæ generaliora & prima viderentur, diſtincta ab aliis fuerant. Pari conſilio Conſtitutiones ſuperiorum

princi-

principum Theodoſium Imperatorem compoſuiſſe, adhuc in Codice Theodoſiano, ut ſcriptum fertur, apparet. Neque Gregorium aut Hermogenium Conſtitutiones Principũ alio ordine in Codice aliquo diſpoſuiſſe conſentaneum eſt.

Denique cúm paulatim Jura alia atque alia accederent, & ſupra modum cumularentur: Juſtinianus Imperator non diſſimili conſilio autorem Tribonianum & alios ſecutus, Jus omnē componere aggreſſus fuit.

Cúm enim gloriatur in prooemiis, nulla in opere ſuo ſimilia aut contraria reperiri: non potuit ſané illa niſi iſto conſilio evitare: cúm alioqui multæ reiterationes, & multa aliena, ſequerentur.

Sed quamvis conſilium tale quoddam ſibi propoſuit, tamen ad titulos ipſos ubi ventum fuerit, tanquam in locos communes quoſdam ea, quæ magis placuiſſent, ut ipſe in prooemiis ait, conjicit ac cumulat: niſi quód uſpiam non ſine prudentia vel ordinem verborum Edicti interpretando ſequitur, vel accidentia actionũ diſtinguit, & in principũ Cõſtitutionibus tempora diſcernit.

Tametſi autem interim ad ſpecialiſſima uſque & exempla videtur ſæpe deſcendere: tamen generaliús iſta voluit intelligi: ut ſatis ipſe indicat in prooemiis: niſi forté privilegia uſpiam attingantur.

Ergo ut planiùs dicam, in Digeſtis & Codice, præſertim illo novo, perpetui iſtius Edicti ordinem potiſſimum ſecutus fuit: quod in proœmiis ipſe etiam monuit: & ita poſtquam de principiis & veluti philoſophia Juris dixit, & mox de Rep. & magiſtratibus attigit, perpetuo deinceps ordine omnia ad forū & judicia comparat, & quaſi formam proceſſus forenſis inſtituit. Denique redit ad Remp. & in Digeſtis præſertim generales quaſdam ſententias & regulas & verborum nonnullas interpretationes ſubjicit.

In Inſtitutionibus autem ordinem illum á generibus ad ſpecies definiendo ſimul & dividendo accuratiùs ſervat. Neque dubium, quin Cajus, & alii Juriſconſulti, (quos fuit imitatus) ut philoſophi, hîc diligentiores fuerint.

In Novellis autem & aliis (ut de his addam) non feré niſi temporis ordo aliquis. Nam quód Novellæ Conſtitutiones poſteá in Collationes iſtas diſtinctæ fuerint, & quód earum quædam ſuis generibus, & titulis in Codice ſubjectæ, prudentiæ cujuſdam videri poteſt.

Denique Pontifices etiam Romani ſimillimum ſecuti conſilium, Decretales ſuas epiſtolas illo prorſus ordine, qui in Digeſtis & Codice cernitur, digeſſerunt. Itaque poſtquam de Eccleſia & poteſtate ſua & de publicis perſonis tradiderunt, quaſi forenſem etiam proceſſum inſtituunt.

ſtituunt, & tandem de Eccleſiaſticis quibuſdam negotiis ſubjiciunt, & denique regulas Juris, & verborum interpretationes addunt.

Sed quanquam Decretum illud Gratiani quadam imitatione Pandectarū compoſitum: tamen non feré niſi ille craſſioris Minervæ ordo in iſtis diſtinctionibus, cauſis, & tractatibus eſt: de quibus ſupra dixi.

In Extravagantibus autem & aliis viſ etiam temporis aliquis ordo eſt.

Ad compoſitionem inſuper verba & phraſes Juris pertinent.

Quanquam autem Juris propria quæ eſſent, paſſim ſervanda fuerant: tamen quantopere quædam, diſſimili videlicet temporum Imperii ratione, paulatim immutata videantur, ex collatione ſatis perſpicitur. Ita in Jure civili quādiu popularis eſſet ſtatus, & Romæ domicilium Imperii eſſet, elegantior & Ciceroniana quædam loquendi ratio erat.

Deinde cúm Imperium transferretur in Græciam & Orientem, & Græci etiam homines Jus Romanum tractarent: miſceri lingua cœpit, & quidem eó magis, quó Imperium magis inclinavit, ſicut in Juſtinianeo Jure paſſim apparet. Quod tamen Vallam, alioqui cenſorem linguæ Latinæ acutiſſimum, non ſatis vidiſſe, mirandum eſt.

Ita demum diſturbato Imperio per Vanda-

los, & alios Germanos, & tandem tranſlato in hanc occidentalem mundi plagam, lingua magis magiſque corrupta & miſta fuit: ſicut in Jure Canonico, & aliis paſſim apparet. Quomodo hodie ſané apud nos Germanos lingua in tractando Jure Germanicolatina eſt.

Hactenus de Inventione & Compoſitione: Nunc deinceps de interpretatione & ſtudio Juris aliquid monendum.

DE INTERPRETATIONE JURIS.

NUlla rectior eſt veriorque Interpretatio, quám ea, quæ contrariâ analyſi & diſſolutione, ac compoſitum quidque fuerat, inſtituitur.

Quæ eadē ſané in Toto & Partibus eſſe intelligitur. Itaque, ut cauſæ & principia (ſine quibus nihil ſatis recté intelligi poteſt) evidentiús cognoſcantur, philoſophia & hiſtoria adhiberi paſſim debent, & ex his deinceps de negotiis, quid quemadmodum ſancitū & conſtitutum ſit, monſtrandum erit.

Ubi ita interim rerum verborumque genera accuraté diſcernenda, & communia á propriis, generalia á ſpecialibus, diligentiús diſtinguenda, & quæ aliena videantur, notanda.

Neque ineptum fuerit, ſi qua ſimilia videantur, diſtinguere, ſi qua contraria, conciliare, & tandem quæ mutata paulatim fuerint, aut quæ

prorſus

prorſus nova acceſſerint, oſtendere. Semper enim totius Imperii ratio habenda, & quod præſens Jus fuerit, inprimis monſtrandum.

DE STUDIO JURIS.

STudium omne inde á philoſophia & hiſtoriis, ut Ortus & Principia intelligantur, repetendum erit.

Deinde Jus ipſum, ut ſcriptum & non ſcriptum, cognoſcendum tum auditione, tum meditatione, & lectione, & ſimul locorum communium notatione.

Loci autem communes rectiſſimé videntur diſtingui poſſe, de Reip. & Imperii forma, de principiis Juris, de generibus Juris, de negotiis ratione Reip. & Imperii; quæ ſic divina & humana, publica & privata ſunt: de adjunctis negotiorum, ut obligationibus, poſſeſſione, & dominio, deque his ipſis acquirendis, retinendis & amittendis, item de tractatione negotiorū & in judiciis, & extra judicia.

Denique accedent exercitationes diſputationum, declamationum quaſi forenſium & aliarum tractationum. Plurimum interim profuerit, ex Bibliis ſententias de veritate & juſtitia diligenter cognoſcere, & Deum precari, ut animos noſtros ad ſtudium veritatis & juſtitiæ velit ſuo ſancto Spiritu accendere.

DE REPUBLICA GENERALITER; EX PHILOSOPHIA SCILICET.

RESPUBLICA eſt ordinatio in populo aliquo ad communẽ ejus ſalutem, juſté nimirum inſtituta, quicunque demum caſus, ſeu pacis ſeu belli, inciderit. Græcé πολιτεία.

Juſtitia enim eſt, quæ duce recta ratione hominum cunctorum & ſingulorũ ſalutem ſpectat. Sic enim generalis quædam Juſtitia eſt (cujus videlicet comites aliæ virtutes ſunt) quæ hominum ſocietatem tuetur.

Recta deinde ratio nitens Logicis, philoſophiam de natura rerũ, & vita hominum, imprimis ſequitur. Quanquã autẽ ita totius humani generis una quaſi Reſp. & ſocietas eſt: tamen illa non minus ſecernitur. Ergo primum de populo, & ſalute, tũ de ordinatione illa. Populus eſt collecta quædam hominũ multitudo. Homines perſonæ etiam & capita dicuntur. Ubi ita pueri, juvenes, viri, ſenes: item alii alia conditione, ut ſummi & infimi, deinde intermedii: item nobiles, ignobiles ſeu plebeii, & deinceps.

Sic enim ſeu Juſtitia ſeu natura, vel Deus potius, voluit homines gradibus diſtinctos eſſe. Qui homines ſi communis ſalutis cauſa conjungantur, ipſi inter ſe tanquam ſocii quidam

& cives

& cives fuerint: unde civitas etiam ſic dici ſolet, id eſt, jus civitatis: ſive una urbs, ſeu plures, ſeu tota etiam regio, fuerint. Ubi interim ſæpe minores quidam cœtus & tanquã populi, incluſi, ut tribus, collegia.

Salus autem illa, eſt ipſa felicitas & beatitudo tum ſingulorum tum omnium, qui ſunt in populo; in hac nimirum vita. Ille enim finis Reip. ſummus, qui & finis bonorum, & ſummũ bonum dicitur, Græcé τὸ τέλος, & τἀγαθὸν. Quanquam autem illa, quæ in cœlis propoſita eſt felicitas, ab hac diſtinguitur: tamen, ſi diligenter quæratur, etiam hujus vitæ felicitatẽ quandam habet: ſicut Chriſtus inquit: Primúm quęrite regnum cœlorum, & omnia iſta adjicientur vobis.

Salus igitur illa omni bonorum genere, quæ præſertim ad hanc vitam pertinent, cumulata fuerit. Bona enim ſunt ea quæ beant, id eſt, beatos & felices reddunt.

Hæc autem cúm ſingulos tum cunctos ejusdem populi homines attingunt: quo modo ſimul & privata & publica fuerint. Bona igitur illa vel hominis ipſius, vel vitæ magis ſunt. Quæ interim, ratione videlicet duce, vel naturâ ipsâ, vel opinione quadam, honeſta & utilia fuerint. Longé autem illa his præſtãt: neque veró utilia fuerint, niſi quę naturâ honeſta ſint. De quibus Cicero in offic. ex media philoſophia eleganter diſſerit.

Illa igitur, nempe hominis, bona, animi & corporis ſunt.

Animi, ut artes & virtutes.

Artes, ſive liberales, ſive Mechanicæ, & in his militares: quæ tum Logica & Matheſis, tum philoſophia, de natura rerũ, & vita hominum, & aliæ literæ.

Virtutes, tum prudentia, tum Juſtitia, & imprimis Religio: quas dixi generali Juſtitiæ nomine etiam intelligi, cúm omnes ad ſalutem hominum pertineant.

Corporis deinde bona, ſcilicet Totius aut Partis.

Totius, bona valetudo, quæ κρᾶσις & ἁρμονία eſt omnium eorum, quæ inſunt in corpore: item agilitas, item forma & figuræ elegantia.

Partis, ut celeritas pedũ, robur brachiorum.

Vitæ magis bona ſunt, quæ & externa, & Fortunæ dicuntur, ut quæ ad victum & cultum pertinent: quæ vulgo poſſeſſiones & bona dici ſolent: cujus generis ſunt omnia illa de quibus copioſé in Phyſicis: In his etiam illa ſunt, quæ publica magis videri poſſint, ut ſi dicatis, Jura & Privilegia.

In his omnibus non corporalia ſolũ, ſed & incorporalia, item ſtudio & arte facta ſpectantur.

Ordinatio deinde illa inſtituitur, tum in hominibus, tum in bonis iſtis; juſté nimirum. Sic enim ad communem totius populi ſalutem

tem ſpectatur; ſeu pacis ſeu belli tempus fuerit.

Quæ ita videlicet inſtituitur, ad comparandum & conſervandum, & ſimul quæ contraria ſint, depellendum; idque Imperio & Jure.

Comparantur ergo homines, tum communi naturæ, tum proprio aliquo modo. Illo, ut juſtis conjugiis. Hoc, ut adoptione, tum adſcriptione. Quanquam comparantur etiam ad varia miniſteria ſimilibus modis.

Conſervantur deinde homines, omni ſcilicet illo bonorum genere. Hæc nimirum ſalus illa eſt.

Deinde bona comparantur, alia aliis modis. Sic bona quæ hominis propriè dicuntur, ſive animi, ſive corporis illa ſint, comparantur tum naturæ beneficio, tum ſtudio & diligentia, nimirum ex præceptis quibusdam. Quò ita ſcholæ, diatribæ, & gymnaſia pertinent. Neque enim Reip. intereſt, ſolos animos ſic excoli, ſed etiam corpora exerceri neceſſe eſt. Nam licet natura videatur pleraq; ſuppeditare, tamen ſtudio & exercitatione meliora etiam evadunt iſta.

Conſervantur autem illa ſimiliter. Studio enim & diligentia in primis opus erit. Unde tota Resp. ad hujusmodi meditationem & exercitationem inſtitutà eſſe debet. Quò ludorum etiam genera quædam, & feſtorum celebrari antiquitas voluit, & præmia propoſuit. Cujus generis hymni illi & laudes victorum apud Pin-

darum. Neque enim ſolúm pueros & adoleſcentes, ſed viros etiam ſic exerceri intereſt.

Alia deinde iſta bona, quæ vitæ aut fortunæ dicuntur, comparantur, aut communi quodam naturæ modo, aut proprio. In quibus ita magis dominium & poſſeſſio dici ſolet, communi ſcilicet naturę modo, qui & gentium dicitur, ut Occupatione, & Traditione, vel quaſi.

Occupatione, ut ſi quid vacuum ſit, aut derelictum. Quaſi, ut ſi quid nondum videatur exiſtere: ſicuti fit agriculturâ, item opificio eo, quod Mechanicum dicitur.

Traditione; ſcilicet non ſine Contractu, & Pacto.

Quaſi, ut clavium traditione, demonſtratione rei. Proprio aliquo modo; ſcilicet non diſſimili, in Rep. ut in Romana, præſcriptione, uſucapione.

Conſervantur bona illa ſic comparata, diligentiâ, parſimoniâ, & aliis modis, item judiciis, ſi lis moveatur, itemque bellis.

Contraria autem depelluntur, tum fraudes, inſidiæ, & alia vitia & ſcelera coërcentur.

Ordinatio autem illa Comparandi, & Conſervandi, nimirum tum Imperio, tum Jure expeditur.

Imperium poteſtas & auctoritas eſt ordinandi, nempe ad communem ſalutem, juſté; & ita ſimul exequendi; Græcé ἀρχὴ. Ubi viva quaſi &

loquens

loquens Juſtitia, quæ ſic ordinat, nempe princeps & magiſtratus.

Quod Imperium Unius, aut Plurium eſt, ſive proprium illud ſit, ſive Mandatum. Solent enim qui poſſunt, tum ipſi, tum per magiſtratus, aut alios, illud adminiſtrare & gerere.

Unius Imperium eſt, ut Regis ſeu Principis. Græcé μοναρχία.

Plurium, quæ πολυαρχία: eaque ſeu totius populi, quæ Democratia; ſeu partis, ſive optimates illi ſint, quæ ἀριστοκράτεια, ſive alii boni, quæ ὀλιγαρχία dici poteſt; cúm vocabulum illud alioquin in vitio magis uſurpetur. Quanquam accidit mirabili harmonia, omnia illa, aut pleraque Imperii genera, inter ſe temperari & jungi. Cujusmodi Romanum præſens Imperium videri poteſt.

Deus autem eſt qui confert & transfert illa Imperiorum genera, ut in Daniele traditur.

Ad executionem autem ejus, quod ordinatum, pertinet ſcilicet Imperium, tum Merum quoddam, tum non Merum. Illud nimirum proprium eſt. Hoc autem magis mandatum & commiſſum.

Quod deinceps aut ad illud proprium accedit, & Mixtū dicitur, aut non niſi ſola quædam Jurisdictio fuerit, expers Imperii majoris.

Jus eſt, quo informatur ordinatio illa omnis, nempe duce Juſtitia, & Recta ratione: quanquā

non ſine Imperio. Sic enim Jus eſt hoc quod juſtum, id eſt omnino bonum, hoc, inquam, quod æquum bonum, quod par & rectum.

Quod ita Jus Naturæ, aut Opinionis; ſcilicet ex cauſis & principiis philoſophiæ ſumtâ diſtributione.

Naturæ; ut quod in omnium animis quaſi Dei digito inſcriptum, per ſe ipſum juſtum & rectum intelligitur. Cujus nimirum teſtis ſua cuique conſcientia eſt.

Opinionis deinde Jus, duce recta ratione, illud Naturæ Jus imitatur. Quod ita ſimulacrum quoddam illius videri poteſt, ut Cicero ait primo de legibus. Quod, quó propiús ad illud acceſſerit, eó conſtantius & ſtabilius eſt. Nam ut illud æternum: ita hoc mutabile eſt. Quod deinceps Opinionis Jus, vel commune eſt plurium populorum, vel unius magis proprium. Illud Gentium, hoc Civile ita dicitur.

Quod Jus ita deinceps aut Conſtitutum, aut Prudentiæ relictum. Illud eſt aut moribus inductum, aut ſcriptum. Hoc alterum, quaſi conſtitutum eſt, aut quaſi conſtituendum.

Quaſi conſtitutum, in interpretatione magiſtratus, judicis, aut Jurisconſulti poſitum eſt.

Quaſi conſtituendum, ſoli prudentiæ magiſtratus aut judicis relictum.

τίλος.

DE PRINCIPIIS JURIS, SEU JURISPRUDENTIÆ.

AD plenam Juris cognitionem, omnino neceſſaria priús eſt cognitio principiorum ac fundamentorũ Juris, tum philoſophicorum, præſertim Politicorum; tum Hiſtoricorum: vel ſaltem Idea philoſophiæ Ethicæ ac Politicæ, itemq; Logicæ & Hiſtoriarũ.

Philoſophia, Politica præſertim & Ethica, primas, intimas, & veriſſimas ſuppeditat Juris cauſas & rationes: é quibus ipſis, cum de negotio controverſo quæritur, quid juſtum ſit, invenitur; & ita demum Jus ſancitur. Sic enim ratio eſt anima legis: quin & ratio quandoque æquitas dicitur: quippe æquitas non ſemper ſcripta eſt, ſed in mente & ratione ſæpius adhuc poſita.

Principia illa, perinde ac ſi non ex philoſophia cognoſcerentur, vulgó legum & canonum auctoritate ſatis præpoſteré confirmari ſolent.

Quanquam non alienum fuerit, ſicubi attingantur, notari.

Principia autem illa tum communia, tum propria magis: de quibus omnibus confuſé aliquid in titulis, De verborum ſignificatione & De regulis Juris.

Communia, ſcilicet cum aliis literis.

Quæ vel προπαιδείαν attingunt, vel παιδείαν. Iſta ſunt Logica & Mathematica præcepta. Logica videlicet ſunt omnia ſermocinantis Mentis præcepta.

In quibus Dialectica, quæ ſunt, & imprimis Topica, ut plurimúm, ſed ſatis etiam præpoſteré, ſic confirmari ſolent.

Quanquam, quæ præſumtiones, conſecutiones, aut aliæ veriſimiles & contingentes probationes, Jure ſanciuntur, cum alioquin in judicantis prudentia verſentur, nominatim obſervandum.

Juris enim tanquam pars aliqua eſſe intelliguntur. Atque huc pertinent Topica, quæ dicuntur, Legalia: cúm cæteroquin omnino philoſophica & generalia ſint, ut illa Ciceronis ad Trebatium.

Mathematica ſcilicet, tum Arithmetica, tum Geometrica præcepta. Quæ nimirum ad Juris explicationem valent plurimum, ut de rationibus ſubducendis, de partienda hereditate, de finibus regundis, de agris metiendis & ſimilibus.

Altera iſta, quæ παιδείαν, id eſt ipſam interiorem philoſophiã attingunt, imprimis Phyſica ſunt, de aliis nimirum rebus, quám de expetendis aut fugiendis. Ita enim creberrimæ quæſtiones ſunt, de omni naturæ genere, ut de ſepti-

meſtri

meſtri partu, de vulnere, de veneficiis, de Magicis,& aliis.

Propria deinde ſunt de bonis quadam prudentia expetendis, ſive natura, ſive probabili ratione fiat, & ſic de contrariis fugiendis.

Bona ſunt quæ ſuprá in loco de Rep. expoſui, cúm interna tum externa, & his oppoſita mala, quæ uſpiam quaſi neutra ſunt, id eſt indifferentia & media.

Quæ bona, inquam, honeſta aut utilia ſunt. Cum quibus interim jungitur, quod pulcrum, decorum, licitum: item quod neceſſarium, poſſibile ſit.

Quæ quamvis ſic diſtincta ſunt: tamē neceſſitudine quadam ita cohærent, ut Socrates execrari ſoleret eos, qui iſta diſtraherent: ut Cic. 3. de Offic. refert.

Quæ deinceps, honeſta inquam & utilia, vel ſeorſim aut ſimpliciter aut comparaté conſiderantur, vel ſimul non ſine contentione: ſicut Cic. in libris Offic. ex intima philoſophia perſequitur. In quibus ut principia illa officiorum ſeu recté factorum, ita juris, accuraté exponit.

Quæ principia videlicet, tum Phyſica quædam, tum Ethica. Phyſica ſunt, quæ in animo ingenita ducem Naturam, vel Deum potius, autorem habent. Prudentia enim nulla ita alia ratione quám natura ipſa nititur: quanquam uſpiam videatur eam etiam imitari velle. De

his nimirum in animi, & quidem mentis explicatione diſſerit Philoſophia. De quibus Cic. lib. 1. de legibus ex Platone egregié. Scribit enim, Dei ſimilitudinem mentem iſtam judicem boni in animo hominis tanquàm numen quoddam ingeneratam & dedicatã eſſe: & illi teſtem adjunctam eſſe conſcientiam, quę lætetur recté factis, contriſtetur autem contrariis: ad cujus vim omnem cognoſcendã quisque ſuam mentem ipſe excutere debeat & noſcere: quod maximé moneat illud conſecratum verbum, Noſce teipſum.

Cujus ita generis etiam ſunt ſemina, ut Juris, ita prudentiæ, juſtitiæ & aliarum virtutum, quæ ipſi quaſi inſita in animis noſtris experimur.

Cum quibus plané congruere, quæ Paulus Apoſtolus cap. 2. ad Romanos ſcribat, jam anté memini.

Hîc igitur inveniuntur quæ naturâ ſunt bona, honeſta & utilia: cujusmodi videlicet æterna ſunt & ſemper ſui ſimilia.

Quanquam quaſi Phyſica videri poſſunt, quæ naturam imitantur, ut Conſuetudo nonnulla, & Opinio naturali ratione nixa. Sic enim Conſuetudo etiam altera natura dici ſolet.

Ethica deinde ſequuntur Principia, quæ ita vel ſingulos homines, vel plures attingunt: iſta nimirum Ethica ſpeciatim intelliguntur: hæc tum OEconomica, tum Politica ſunt. Quæ

Ethica omnia vel ex illis Phyſicis derivantur, vel opinionem & probabilem rationem ſequuntur.

Iſta, inquam, ſunt illa Phyſica, de quibus dixi. Hæc autem locis & temporibus ſerviunt.

Ubi quamvis occurrunt indifferentia & media: tamen hominum opinione & judicio habentur, & fiunt quaſi honeſta & utilia.

Cujus generis ſunt quæ in Jure finguntur naturæ ſimilia, ut de adoptione, de repræſentatione, de fœtu concepto &c. item quæ adduntur ſolennitates & ceremoniæ in Teſtamentis, in Contractibus, & aliis.

Ubi ita nimirum bona intelliguntur honeſta illa quidem & utilia, ſed mutabilia tamen, & ſui paſſim diſſimilia.

Atque ut ſummatim colligam, Jus naturæ oritur ex communibus illis æternis principiis, id eſt, præceptis & legibus Logicis, Mathematicis, Phyſicis, & deinceps propriis ſimilibus, tum Phyſicis, tum inde profectis Ethicis: Jus autem alterū quaſi Opinionis ducitur ex propriis mutabilibus Ethicis ſcilicet, OEconomicis & Politicis: quó accedunt quaſi Phyſica illa, de quibus dixi.

Cauſæ igitur ſunt inſitæ & propriæ Juris, Natura, & voluntas opinantis ſcilicet, & dijudicantis, quæ Opinio eſt, duce tamen ſemper mente & ratione: Ad quas tamen ſæpe accedunt Ne-

ceſſitas & finis: deinde in ſanciendo auctoritas, & in ſumma obſcuritate tanquam Dei Oraculum, Sors & Fortuna.

Quanquã in diſſimilibus interim omnis generis cauſis, item ſubjectis & adjunctis diſſimilis Juris, duce, inquam, tamen ratione, conditio.

Hæc igitur principia, ut pergam colligere, intelligit & complectitur Prudentia, id eſt, Recta ratio: Quam non tam ducem ſequitur, quám conſiliariam adhibet domina & princeps virtutum, Juſtitia, & ita, ex principiis illis, hoc quod juſtum, id eſt Jus, ſancit, & ſancitum deinceps præſtat: quæ ita propria quidem legi, ſed communicata & ingenita homini: quę lex nimirum illa eſt, jubens quod juſtum, & vitans contrarium, quæ non tam diſcitur, quám colitur & exercętur. Quæ non tam habitus eſt, quám facultas animi, id eſt perfecta quædam natura, qualis in Deo ut exemplari cernitur, & animis noſtris impreſſa eſt. Unde nimirum magiſtratus ita lex loquens & vivens juſtitia dicitur. Quæ Platonis philoſophia pręſertim lib. 1. de legibus á Cicerone explicata multó certior & verior eſt, quám illa Ariſtotelis de raſis tabulis pectoris. Quanquam idem Ariſtoteles Ethicorum 5. cap. 2. plerasque etiam leges á generali juſtitia proficiſci tradit.

Quam ſané philoſophiam Ulpianus dicta lege prima de juſtitia & jure, ex enumeratis factis

juſtitiæ

juſtitiæ evidenter oſtendit, & cúm Juriſconſultos ejus ſacerdotes vocat, numen aliquod ſané facit, quale ab Orpheo, Heſiodo, Arato, & aliis philoſophantibus poëtis ſimiliter deſcriptum. Quamobrem etiam cultum illius vocat philoſophiam, nempe quód ex philoſophiæ principiis illis Jus ſtatuat & exerceat.

Quomodo Juſtinianus etiam generalem Juſtitiam dicto titulo definitam oſtendit: Novella 96. quæ alioquin eſt in collatione 5. Novella 20. quam ſententiam ſcilicet divinis literis conſentaneam oſtendimus. Quam poſt Ulpianum Azo, Accurſius & alii plerique doctores recté ſecuti ſunt.

Quod Jus ita ſancitum, quamvis durius aliquando & immitius videatur; tamẽ auctoritate nititur ſancientis: cujus videlicet ita in rebus iſtis contingentibus & mediis judicare eſt, quid æquum aut iniquum ſit.

Quod ſi uſpiam præterea ſancitam habeat diſtinctionem, æquitas illa exceptionis fuerit, quæ aliquando ſic ſcripta apparet. Atq; hinc ita Jus & æquitas diſtinguuntur, & Jus ſummum, durum, aſperum, ſtrictum dicitur, ut oſtendit Ariſtoteles Ethicorum 5. & attingitur in dicta lege 1. C. de legibus. & d. l. placuit. C. de judic.

Hoc autem Jus ita ſancitum ſi nimis urgeatur, & tanquam apices ejus & puncta captentur, accidit quod proverbio dicitur, ut ſummum

videlicet Jus ſumma fiat injuria aut malitia, niſi fortè Juris conditio illa ſit, ut ſtrictam aliquam rationem poſtulet.

Hunc autem locum de principiis doctores multis tractatibus explicarunt, qui partim in opere illo Tractatuū extant, partim á Freimonio in Elencho ſcriptorum Juris in capite de cognitione Juris notantur: In quibus illi inſignes ſunt, qui de arte Juris inſcribuntur, ut Joannis Coraſii, Hopperi, Loriotthi, & ſimilium.

Hactenus dé philoſophia & Principiis Juris.

DE HISTORIA, SEU HISTORICIS PRINCIPIIS.

ATque ita nunc deinceps hiſtorica genera Juris Civilis, nempe Romani Juſtinianei, ex philoſophia illa, ratione quadā Imperii orta, oſtendi. Quanquam alioquin hiſtoria ad totam Juris illius ſanctionem & ordinationem deinceps etiam pertinet.

Cauſæ igitur nunc intelliguntur & principia, Imperium Romanū, & ejus forma, & inde profecta ſanciendi auctoritas.

Atque ita nunc, inquam, Jus Civile Romanū Juſtinianeum intelligitur. Ubi nimirum Hiſtoria illa, de populari & Cæſareo Imperio Romano, tūm confuſo tum mixto, repetunda erit.

A quo videlicet ſtatu præſentem hanc formam Germanico-Romani Imperii non nimis diſcrepare, ibidem ſignificavi.

LOCUS COMMUNIS

DE GENERIBUS JURIS ROMANI PRÆSENTIS: DEQUE ILLORUM inter ſe generum quoad prærogativam, Comparatione, & Allegatione

Jus præſens, ſcilicet Chriſtiano-Romanum, ex principiis philoſophiæ, præſertim Politicę, & hiſtoria de Repub. & Imperio præſente, de negotio aliquo propoſito inſtituitur.

Juris autem iſtius hæ quaſi communes affectiones per totum Jus & interpretes ejus diſperſæ, hisce diviſionibus diſtingui poſſunt. Juri enim accidit divinum & humanum eſſe: Eccleſiaſticum & Politicum: Poli & Fori, quod dicitur, id eſt, internum (religionis ſcil. & conſcientiæ) & externum: Publicum & privatum: generale & ſpeciale, ac ſic deinceps gradatim generalius, generaliſſimum, ſpecialius, ſpecialiſſimũ: item neceſſarium, ac præſumptum ſeu probabile: certum, & controverſum ſeu dubiũ: novum & vetus: æquum, & durum ſeu aſperum, ſive ſummum.

Jus illud ita diſtinctum, autoritate quadam

Imperii conſtitutum eſt, aut conſtituendum.

Et conſtitutum aut veré ac proprié, aut quaſi.

Conſtitutum, ab iis ſcil. qui Imperium habent. Et hoc jus certum eſt ac neceſſarium, ſimpliciter obligans.

Jus conſtitutum vel non ſcriptũ eſt, vel ſcriptum, vel quoddam quaſi mixtum.

Non ſcriptum, eſt á populo (nempe quatenus Imperium habet) diuturnis moribus inductum & conſtitutum Jus. Alioquin enim, ſi populus Imperiũ nullum habeat, magis præſcriptio quædam ad tale Jus conſtituendum videtur requiri, vid. Aymo. Gravett. de antiquitat. tempor. part. 4. n. 13. & l. 32. de legib. Hoc Jus conſuetudo dicitur. Eſtque hoc jus aut ſpeciale, aut generale, pro eo ac populus minor aut major fuerit. Speciale dicitur & locale; eſtque aut ſpecialius aut ſpecialiſſimum: adeó quidem, ut in una etiam nobili quandoque familia, præſertim ſi merum ac mixtum imperium habeat, inveniatur, Boërius deciſio. Burdegal. 155. nu. ult. Jaſon in l. omnes populi. de juſt. & Jur. & in l. ſi quis á filio. §. ult. nu. 4. de legat. 1.

Generale Jus conſuetudinarium, ſimiliter aut generalius eſt, utputa in tota Germania; aut generaliſſimum, in toto videl. Chriſtiano-Romano Imperio.

Hactenus jus non-ſcriptum.

Scriptum, eſt Jus in ſcriptis conſtitutum, præ-

ſertim á magiſtratibus, qui tale Imperium habent.

Eſtque ſimiliter ſpeciale & generale: nimirum proportione totius aut partis, majoris aut minoris, Imperii Chriſtiano-Romani. Utrumque ſuis itidem gradibus ſubdiſtinguitur, ut & ſupra.

Speciale illud, dicitur ſtatutum: & aliquando ſpecialius eſt, ut in Regione aliqua Germaniæ: aliquando ſpecialiſſimum, ut in civitate aliqua, ſic enim Municipalia quoq; ſtatuta ſunt.

Generale Jus ſcriptũ modó generalius eſt, ut in tota Germania: quó pertinent Receſſus Imperii, Ordinationes Politiæ, & Cameræ: modó generaliſſimum, videlicet in toto Chriſtiano-Romano Imperio valens. Et hoc ipſum nunc jus commune dici ſolet. Et hoc aut Politicum aut Eccleſiaſticum eſt. (Quanquam hodie in iis, quæ Politiæ ſpeciem habent, magis unum duntaxat Jus quoddam Politicum viget.)

Jus Politicum in Jurisprudentia Romana eſt Cęſareum ac Civile: idque vel Juſtinianeum, nempe prius & antiquius, vel aliud quoddam nempe poſterius ac recentius, quippe in Jure Feudali, & Extravagantibus, quæ dicuntur, conſtitutionibus.

Juris Politici, præſertim Juſtinianei, ſunt leges imprimis, & conſtitutiones.

Eccleſiaſticum eſt Pontificale, ſeu Canoni-

cum:ubi itidem aliud prius & aliud recentius. Cujus generis ſunt Canones & Capitula.

Hactenus Jus ſcriptum.

Jus quodammodo mixtum in Conſuetudine ſcripta conſiſtit, argument. l. ſi aliena. §.1. de uſucap & l.14. de ſervitut. Sic mixtum etiam videtur, cúm quid ſancitur ſine ſcripto. Neque enim ſcriptura propriè ad ſubſtantiam legis pertinet, Sebaſt. Medices in tract. de legib. part.3. quæſt.11.

Et hæc de Jure veré conſtituto.

Jus quaſi conſtitutum, ſcilicet auctoritate ſapientum ac prudentum, ex ſuperiore illo conſtituto, ſed præſertim generaliſſimo jure, de quo pauló anté in jure ſcripto. Quod quidem autoritatem magis communi Chriſtiano Romani Imperii conſuetudine, quám Imperatorum ſanctione, vel alia cauſa hodie videtur habere. Tale eſt jus interpretatum & ad conſequentiam productum; quod inſtar conſtituti eſt, poſteaquam uſu ac moribus comprobatum & receptum fuerit.

Jus quaſi conſtitutum, præſumptum ac probabile eſt; quod tantiſper nimirũ obligat, dum jus certius demonſtretur. Præſumpta enim veritas dicitur. Hoc jus ſæpe dubium & controverſum eſſe accidit. Hujus generis eſt ſententia & opinio quædam.

Itaque imprimis huc pertinent communes docto-

doctorum opiniones: á quibus ſané judici non licet, etiam in foro conſcientiæ ſuæ, recedere, niſi evidentiſſimas habeat rationes. Eberard. in Topic. legal. in loco ab autoritate, Bonacoſſa in Procemio Cõmunium Opinionum criminalium. Adde Emanuel. Soarez in receptis ſent. in littera A. D. & O & Eberard. d. lib. in loco, A ratione legis. Hinc Plato in Hippia Majore prudenter ait, ſummæ inſcitiæ argumentum eſſe, á ſapientibus ſeu prudentibus diſſentire.

Jus quaſi conſtitutum, deinceps tum Interpretatum eſt, tum Tractatum.

Interpretatum, nempe tum ex alio, tum præſertim ex illo generaliſſimo communi jure. Quantó autem jus aliquod á communi longiús recedit, tantó ſtrictiús intelligendum, & ex illo communi magis illuſtrandum: ac fere contrá. Sic enim jus vel reſtringitur, vel extenditur.

Interpretati juris ſunt tum Gloſſę ordinariæ, tum aliæ Doctorum interpretationes. Ordinaria juris, communis Gloſſa, in Jure quidem Civili, præcipué eſt Accurſii, in Canonico autem Bernardi cujusdam.

Interpretatio Jurisprudentis eſt Commentarius, Lectura, Repetitio. Ita Opus Repetitionum juris extat.

Tractatum deinde jus, eſt collectũ aut concluſum.

Collectum, nempe generalius quoddam jus; ut Theſis, & Summa.

Theſis, ut ſententia generalis & Regula.

Sententia, videlicet notata in textu Juris: cujusmodi eſt axioma juris quoddam, aut ſummarium quod vocant. Hujus generis ſunt Notabilia iſta, item Singularia. Hinc Opus etiam Singularium Juris extat. Cujus generis etiam ſunt quę dicuntur vulgó Brocardica, ut Azonis, Damaſi: cúm quaſi pugnantia Jura concilientur & ad theſin aliquam revocantur.

Regula ex ſimilibus ſpeciebus Juris colligitur. Sic enim ex Jure, quod eſt, fieri dicitur, l. 1. de Regul. Juris. Quæ ſæpe diſſimilibus quibusdam, id eſt, exceptionibus & diſtinctionibus notatis completur, & amplificãdo ad ſimilia transfertur: ubi aliquando medię etiam diſtinctiones attinguntur. Hinc Opus Regularum Juris extat. Præſumitur autem pro regula, donec Exceptio probetur. Eberardus in loco ab Explicatione ad regulam, numero 12.

Summa eſt, tanquam ſecundúm artis formam compoſita epitome. Quæ totius quodammodo Juris, aut partis eſt.

Totius, ut Azonis, Hoſtienſis, Speculatoris.

Partis in Jure, ut loci alicujus communis: cujusmodi Tractatus aut liber dicitur. Hinc Opus Tractatuum extat, quod Oceanus Juris dicitur.

Concluſum deinde Jus, videlicet ex argumẽtis & conſequentiis ſuperioris illius, præſertim generaliſſimi Juris, ſequitur. Quod nimirum

vel á multis ſapientibus, vel ab uno aliquo diſputatum eſt: ſive id in commentario, ſive conſilio, ſive alio ſcripti genere fiat. Cujusmodi magis nimirum Opinio & Doctrina dicitur; quæ probabilis, inquam, eſt, & tantum præſertim valet, quantum ratio addita, Eberard. in d. loco á ratione legis. Quæ opinio ita communis, aut Singularis, & illa (communis ſcil.) deinceps ſæpe communior, aut cõmuniſſima. Hinc Opus opinionum etiam extat. Atque in his plerumque occaſio diſputandi ex Gloſſa ſumitur: ubi videlicet ſedes ordinaria diſputationis ſic eſſe fertur. Cujus generis etiam eſt, quod á toto aliquo Sapientũ Senatu concluſum: cujusmodi Deciſio dicitur, ut Rotę Romanæ, Capellæ Toloſanæ, Concilii Neapolitani, Parlamenti Pariſienſis, Cameræ Imperialis, aut alterius celebrioris Curiæ. Neque etiam deciſio, niſi probabile Jus quoddam facit. Eberard. in d. loco Ab autoritate. Extant autem Deciſionum talium libri.

Sic ergo ad Jus concluſum, nempe diſputatum aut deciſum, pertinent diſputationes, conſilia, opiniones, deciſiones, Senatuũ, Rotarum, Curiarum, Doctorum & Jurisprudentum.

Sæpe autem ejusmodi genera quædam quaſi conſtituti Juris in aliquo commentario, aut tractatu, aut alio ſcripto, inter ſe junguntur.

Hactenus Jus conſtitutum, nempe tum veré, tum quaſi conſtitutum.

Jus deinceps conſtituendum, ex principiis juris (de quibus ſupra) tum hiſtoricis, tum philoſophicis, ac præſertim politicis cum Decalogo ſtudioſé collatis, de novo incidente caſu (qui ſcil. nullo expreſſo, ſeu conſtituto, ſeu quaſi conſtituto jure deciſus eſt) præcipué conſtituitur. Hoc Jus in l. 1. cum ſimilibus, Cod. de legib. AEquitas, & á Dd. AEquitas non ſcripta vocatur: & in recta ratione (quæ æterna lex eſt) fundatur ac cernitur: quę & naturalis ratio, tit. 2. Inſt. de jur. natur. gent. §. 1. item naturalis juſtitia, l. ſcire. §. conſequens, de excuſ. tutor. nuncupatur.

Hoc Jus facultatis eſt, & (ut loquuntur) potentiâ Jus eſt.

Et hoc Jus ſimiliter ut & conſtitutum, aut proprié magis conſtituendum eſt, aut quaſi.

Conſtituendum ſcilic. ab iis, qui imperium habent: ſive prorſus novũ ſtatui, ſive quod jam ſtatutum eſt, illuſtrari vel mutari neceſſe ſit. Sic Imperator ſibi ſervat interpretationem æquitatis, d. l. 1. C. de legib. Sic Jus honorarium viva vox Juris civilis dicitur. l. 8. de juſt. & jur. Ubi ratio, ſed recta ratio, domina erit, non voluntas præfracta aut temeraria. Non enim illud tyrannicum convenit: Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas. Quó pertinent Lex 10. cum aliquot ſeqq. tit. d. ll. Quod Jus ita neceſſarium eſt.

Jus quaſi conſtituendum, nempe illa auctoritate

ritate ſapientum & prudentũ conſtituendum, quæ hodie generaliſſima Imperii conſuetudine valet: (de qua ſupra in Jure quaſi conſtituto) ſive videatur novus caſus quodammodo decidendus, ſive Jus jam ante ſtatutum illuſtrandum. Ubi ita ſcil. ratio, anima & mens legis eſt, l. ſcire, de ll. Gloſſa in l. 2. C. quæ ſit long. conſuet. Sic & ratio allegatur, cũ lex nulla eſt, Gloſſa in c. ex eo, in verb. Rationis. de electiõn. in 6. decretal. Sic ceſſante Ratione legis, ceſſat lex ipſa. Vide laté Tiraquellum in Regula, Ceſſante cauſa, in verb. Legis ratio, & ibidem in limitatione 1. Quomodo ſæpé etiam de novo aliquo caſu Jus diſtingui ſolet: Eberard. in loco, A ſervo ad monachum, num. 7. Nam quod alioqui dicitur, Diſtingui non oportere, ubi lex non diſtinguat: ſicut notatur, in l. de pretio. de Publiciana ita intelligitur, ut diſtinctum á nobis autoritatem Juris neceſſarii non habeat. Hoc enim Jus ita præſumptum etiam & probabile duntaxat cenſetur.

Simile autem Juris illius conſtituti eſt, quod conventione partium, non tamen contra illud ipſum Jus conſtitutũ, placet: ut fœdus, pactum, transactio, contractus, l. 1. 2. & 7. de pactis: item quod ultima voluntate ſancitũ, ut Teſtamentum, Codicilli, l. 3. de Teſtament. & l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſiis. Hæc enim legis inſtar habent: ut notatur in l. ſi in teſtamento, in fine, de vul-

gari & pupillari ſubſtitutione. Quod etiam interpretationem quandam recipit: Et hic magis interpretandus actus, ita ut valeat, quám ut pereat, l. quoties. de verb. oblig. Et ultima quidem voluntas ſemper pleniús interpretanda, l. in teſtament. de Regulis Jur.

Deinde ſimile Juris illius conſtituendi eſt, cúm magiſtratus ratione Imperii edicit, præcipit, mandat, vetat: item cúm judex ſententiam fert. Quod Jus tamen in arbitrio ſcil. judicis poſitum (hoc eſt, prudentiæ, fidei & conſcientiæ liberé judicantis relictum) magis præſumtum quoddam Jus eſt. Tantiſper enim valet, donec legitimé retractetur. Et ita res judicata pro veritate accipitur, l. res judicata. de reg. jur.

Et hactenus de generibus Juris ipſiſmet. Nunc porró de generũ illorum inter ſeſe Comparatione, & Allegatione.

Genera illa, & Affectiones Juris diſtinctæ: genera, inquam, illa comparantur inter ſe tum proxima, tum remota. In quibus ipſis, licet multorum comparatio conſtare & cognoſci poſſit ex principiis illis naturæ & rationis, de quibus ſuprá: tamen quia de pleriſque dubitari poteſt; ſingulatim ea perſequamur: & ita quidem disponamus, ſicut comparatio illa meritó inſtituenda erat.

Proxima ergo genera, nempe ejusdem proximi generis, pariter & impariter conferuntur.

Pariter:

Pariter: quatenus parem vim unumquodq; in ſuo genere habet. Quomodo in ſuo etiam foro ſeorſim. Sic Jus Canonicum in terris Eccleſiæ, ut loquuntur: Jus Cæſareum autem in terris Imperii, proprié obtinet; & ita convenienter parique analogia Canoniſtarũ ac Legiſtarum opiniones, quælibet in ſuo foro ac territorio valent. Quanquam ubi in alterutro Jure plus aut minus fuerit, ratione communis & generalis Imperii communicatur, ut ſupra.

Deinde impariter comparantur pleraque omnia.

Atque ut primúm perſtringam affectiones generales illas, ita divinum Jus præſtat humano, & ſic Biblicum omnino præfertur, niſi ad Politiam Iſraëlitanam proprié & ſpecialiter pertineat. Quod ita Jus etiam Poli & Conſcientiæ eſt Chriſtianis.

Deinde Jus Eccleſiaſticum ſecundúm opinionem vulgi præſtat Politico, Canonicum ſcilicet Cæſareo, & ſimili: nempe cúm negotium ſpirituale, aut mixtum quoddam eſt: cujus generis etiam putatur matrimoniũ, notatur cauſa ſecunda, quæſt. 3. §. colligitur: item cúm occaſio aliqua peccandi videtur ſubeſſe, ut in pręſcriptionibus, uſuris, & ſimilibus, Dd. communiter in cap. ult. de Præſcript. Mynſing. Obſerv. Cam. cent. 4. obſervat. 6. Item cum ſimpliciter æquitas ſpectatur, ut in actionibus, in pactis, & pro-

ceſſu judiciali: quod ita generaliſſima ſcil. conſuetudine Imperii liquet. Imprimis autem in illo conſcientiæ &peccati vitandi ratio ducitur.

Deinde Jus publicum privato, cúm nimirum ſalus populi totius, magis ſpectetur: Notatur in Authent.de non alienand.& permutand. §.oportet enim. collatione 2. Nam quod alioquin permittitur Jure privato ſeorſim uti, non minus ad communẽ omnium & ſingulorum utilitatem pertinet.

Deinde Jus poli,quod dicitur, quod ita divinum, Biblicum, &conſcientiæ eſt, præſtat Juri fori.

Ita enim communiter Dd.in c. Tua nos. & in c. is qui fidem, De ſponſalibus, ea quæ tangunt conſcientiam,ſic dirigenda volunt, ut nihil illam lædant. Hinc ſummatim ,Non faciendum alteri,quod tibi nolis fieri: notatur in Rubrica ff.Quod quisque Juris.Hinc decipere alterum non licet in foro conſcientiæ, quamvis quadamtenus in Emptione & Venditione Jure civili permittatur, Emanuel Soarez in Receptis ſentent.in litera D.num.17. Hinc in ordinatione Cameræ imponitur Judæis juramentum ſecundúm ſuam religionem. Quanquam alioquin etiam Jus fori,id eſt externum, humanum & poſitivum, quod dicitur, ſervandum in foro Conſcientiæ: niſi, inquam ,peccatum attingat, ut jam dictum. Emanuel Soarez in d. Recept: ſentent.

ſentent. litera L. num. 136. Neque veró apices & ſubtilitates juris excuſant in foro Conſcientiæ. Quod ſingulariter notat Bald. in l. unica. C. de Confeſſis. Sed vide pleniús Sebaſtianum Mediceum in d. tractatu de ll. parte 4. quęſt. 9.

Deinde ſpeciale præſtat generali, & ſic deinceps gradatim magis ſpeciale minus ſpeciali. Species. n. generi derogat in toto Jure, & illud præſtãtius ac potiús habetur, quod ad ſpeciẽ directum eſt, l. in toto. de regulis juris. Quanquã, cúm pręſumatur in dubio pro generaliore Jure, illud ſpeciale demonſtrandum eſt, per ea quæ Bart. & alii Dd. communiter notant in l. 1. de Vulg. & Pupil. ſubſtitut. Faciunt quæ tradit Andr. Alciatus in tractatu pręſumptionum, regula 3. præſumptione 36.

Deinde neceſſarium præſtat præſumto & probabili: & ſic deinceps Præſumtum nondum demonſtrato certiori: Neque enim faciléac ſine cauſa ab illa autoritate, pro qua recté præſumitur, recedendum in foro etiam conſcientiæ, ut ſuprá oſtendi.

Deinde ſic omnino præſtat certum dubio & controverſo. Ubi maximé ſpectandũ, quid diu ſervatum ſit: Dubiorum enim optima interpres Conſuetudo. capite Dilectus. de Conſuetud. & d. l. 37. de ll.

Deinde novum veteri, ut l. ult. de Conſtitutionibus. Neque per non uſum Jus conſtitutum

tollitur, ſi quidem caſus ille non incidiſſet, in quo Jure iſto uti licuiſſet. At contrá tollitur per non uſum ea, quæ proprié deſuetudo dicitur, Inſtitut. de teſtamentis. §. 1. & ita, idque multo magis, per contrariam conſuetudinem, ſæpé d. l. 32. d. ll. Sebáſt. Medic. in d. Tract. d. ll. part. 4. quæſt. 37. Quo modo etiam poſterior conſuetudo tollit priorem, argumento d. l. ult. de conſuetud. Sebaſt. Medic. in d. Tract. part. 2. quæſt. 14. Quomodo etiam poſteriora pacta priorib. derogant. l. pacta notiſſima. ff. de pactis.

Denique præſtat Jus æquum duro & aſpero: ſiquidem æquitas ſcripta ſit, l. placuit. C. de judiciis: quæ legis ſcilicet generalis quædam diſtinctio eſt. At ſi nihil tale ſcriptum ſit, ſequimur rigorem Juris, l. proſpexit. t. qui & á quib. manum. & cap. in Memoria 19. diſtinctione. Quanquam, ſi quod Jus dubium incidat, ſemper æquitas ſequenda, argumento l. proximé, de his quæ in teſtamētis delentur, l. de pœnis; imó rationem naturalem etiam non ſcriptam, legi præſtare concluditur, ex d. l. ſcire, de excuſatione tutorum, Tiraquellus in d. regul. Ceſſale, limitatione 1. num. 73. Quomodo ſcilicet Jus naturale Poſitivo præfertur. Nam quod alioqui dicitur, judicem debere æquitatem præ oculis habere, l. quod Epheſi. de eo quod certo loco: non de ea, quam ipſe ſibi forte fingat, intelligendū, ſed de certa, ut loquuntur, & ſcripta, Marcus

Mantua.

Mantua. Singul. 451. Quomodo Iſocrates etiam Areopagitas laudat, quód non æquitatem ſed Jus ſcriptum ſequerentur. Sed hactenus de Juris generalibus affectionibus illis.

Quod ad ipſa Juris genera attinet; deinceps ſine controverſia præſtat Conſtitutum Conſtituendo. Tum non ſcriptum, quippe quod uſus & neceſſitas magis poſtulet, ſcripto; d.l. de quibus. de ll. & l. venditor. §. ſi conſtat. communi dividundo, d.c. ult. de conſuetud.

Quanquam nonnullos Canon 5. diſtinct. 1. & lex 2. C. quæ ſit long. conſ. in contrariam ſententiam impulerunt.

Tum Conſtitutum prę́ſtat quaſi Conſtituto, quippe Neceſſarium præſumto, ſicut jam oſtendi.

Tum Interpretatũ Tractato ſeu Disputato: & ſic Lectura Conſilio, Aymo Grav. de antiquitat. tempor. part. 1. & 4. Quanquam contrariam opinionẽ veriorem putavit Franc. Vivius communium opinion. lib. 2. in. verb. Doctor, ſed malé: vid. Joann. Fichard. in Addition. ad Villalobum in communibus opinion. in liter. O.

In interpretato Jure Gloſſa ordinaria alii cuivis interpretationi ut plurimum præſtat. Magna enim Gloſſæ illius auctoritas poſt Textum Juris eſt, Bart. in l. ut vim. de juſtitia & jur. Eberard. in loco á contrario ſenſu.

Deinde collectum, quippe quod textibus Ju-

tis propriùs nitatur, concluſo præſtat, ut l.1. de reg. Jur.

Similiter regula præſtat diſtinctioni vel exceptioni, nimirum allegatæ quidem, ſed nondum demonſtratæ. Quoniam enim exceptio firmat regulam: ideo pro regula & regulari Jure præſumitur, donec exceptio probetur, argum. l. omnis definitio, de reg. Jur. Itaque Jus certum ac fundatam intentionem habere dicitur is, pro quo facit regula. Ideoque & onus diſtinctionem probandi in alterum transfert, Gloſſ. in d. l. omnis definitio. Bart. in l. quoties. ſi quis cautionem in jud. ſiſt. Gabriel Sarayna ad Sing. 19. Matthæi Matheſilani.

Quod ad Jus concluſum attinet, plurium ſapientum opinio ac deciſio pauciorum deciſioni, & ſic communior minus communi præſtat, argum. l. ob carmen. §. ſi teſtes. de teſtib. cum ſimilibus, Bonacoſſa in prefatione communium opinionum, & hæc (opinio vel deciſio) etiamſi fortaſſis erret in vero ſenſu textus Juris, tamen niſi planè contrarium aſſerat, toleratur, Fich. ſecutus Panormitanum in cap. 1. de poſtulatione prædatorum ad Villalupium in verb. communis opinio.

Si tamen pauciores autoritate & ratione vincant, pluribus præferuntur, argumento l. 1. §. ſed neque. C. de vet. jur. enuc. Franciſc. Turzanus in communib. Opin, ſcil. Opinione 160. argumen-

argumento d.l.ob carmen,in fine. Quomodo ſæpe unius celebrioris Doctoris opinio (eoque magis, ſi ratione potiore nitatur) vicerit, argumento d. l. 1. §. ſed neque. C. de vet. jur. enu. Potior autem ratio ex iis maximé, quæ ſuperiùs explicavi, intelligitur. Vide omnino Weſemb. Conſil.2.part.1.& Conſil. 55. part.2. citantem interim Antonii Horatii libros de commun. opin. Et ita quandoque uni etiam Doctori, ſicut aſſerenti conſuetudinē, ita communem eſſe opinionem affirmanti, creditur, imprimis per cap. ut conſtitueretur, diſtinct.5. Vide Matthęū de Afflictis, Deciſ.253. & Fichard. in additionib. ad Villalup. in verb. Doctor.

Ubi ſi alioqui dubitetur, quæ communior ſit, certé illam ſemper ſequimur, quæ communibus, & pluribus, & melioribus vicerit. De qua ſi etiam dubitetur, certé æquiorem & benigniorem ſequi debemus: Sebaſt. Medices in d. Tract. d.ll. part.2. quæſt. ult.

Præſumitur autem adeó etiam pro communi opinione, ut alleganti contrarium, probandum ſit. Bonacoſſa in dd. communib. Opin. Criminalib. in verb. Opinio.

Denique Conſtituendum quaſi conſtituendo, perinde ut conſtitutum quaſi conſtituto, intelligitur præferri.

Hactenus de proximis generibus.

Comparantur Remota, item Pariter & Impa-

riter. Pariter, ut quæ parem vim obligandi habent. Sic Conſuetudo, Lex, Statutum, ut ipſa nihil differunt in genere.

Impariter, ſive plura, ſive pleraque omnia.

Plura; ſic Concurrentia plus valent, & quæ alioqui non niſi probabilia ſunt, concurſu iſto magis ac magis confirmantur.

Ita Opinio approbata communi opinione, aut Conſuetudine, antefertur, Soarez in dd. commu. opin. in verb. Opinio.

Ita Conſuetudo conformis Juri ſcripto prævalet alii conſuetudini, c. ſopitæ, cum ibi notatis, de cenſib. & c. cúm dilectus, de conſuetudine. Bartol. in l. 2. in fin. ſoluto matrimonio.

Pleraque omnia ſic comparantur, cum videlicet illo ordine, quem hactenus ſecuti ſumus, á ſpecialiſſimis quibusque; quippe quæ propiús ſemper nos attingant; ad generaliora, tanquam converſa methodo proceditur, d. l. in Toto, de reg. Juris. Ita enim á generibus conſtituti Juris & imprimis non ſcripti, incipitur, & venitur ad genera quaſi conſtituti, & ſic ad alia pervenitur. Quanquam interpretatio ſententiæ paſſim poteſt accedere. Quomodo etiam Opiniones de illa inciderint, argumento l. & ideo. cum ſeq. & d. l. de quib. de ll. & ibi Dd. Rochus Curtius in d. repetitione. c. cum tantum. de conſuet. ſectione 7. & ibi num. 20. & aliis.

Nam quod dubitant plerique Dd. ex d. l. de quib.

quib. utrum priús ad conſequentias & ſimilia Juris veniendum, quám conſtituti, & porró quaſi conſtituti, genera omnia explorata ſint,& movent eos verba, tum quod proximum & conſequens: Si conferatur d. l. & ideo,cum ſeq. ſatis apparet, illum quem oſtendi, ordinem ſequendum, & verba illa,de conſequente & proxima conſuetudine generaliore aut alio proximo Jure,& non de productione ad conſequentiam, interpretanda.

Hinc Minſingerus obſervationum Cameræ Centuria 5.obſ.76.(ut hoc exempli cauſa addã) oſtendit,in quæſt.feudali primó inſpicere oportere pactum ſeu inveſtiturã,ut quod omniũ ſpecialiſſimũ ſit,ſicut & nos ſup.attigimus,tum cõſuetudinem curiæ,tum Jus cõmune feudale, tũ Jus commune ſcriptum, tum ſimilitudinẽ conſuetudinis,tum legis: & ſic pergendum denîq; ad argumenta ex ſuperiore Jure ducta. Quæ omnia ſi conferas, primum eſt pactum, deinde Jus non ſcriptum,deinde ſcriptum;& ſic omnino conſtitutum,deinde conſtituendum,videlicet productione & conſequentia. Quanquam dubium non eſt,quaſi conſtitutum etiam antecedere illud conſtituendum generaliſſimâ Imperii conſuetudine: quamvis probabiliore ratione liceat ab illo recedere. Niſi igitur comprehendiſſe videatur hoc genus illa productione & conſequentia,deſiderari videbatur poſſe.

Neque tamen minus contenderim, quin ad controverſias doctorum, quę ex ambiguitate d. leg. de quibus natæ ſunt, placandas prudentiæ aliquid dandũ videatur. Quanquam alioquin in dubio ſemper pro communi & communiore Jure præſumitur, ut ſuprá attigi.

Hactenus de comparatione illorum generum.

Allegantur deinceps genera illa tum ſeorſim, tum cumulaté. Erubeſcimus videlicet, inquit Juſtinianus in authentica de triente & ſemiſſe, ſine lege loqui.

Seorſim; nimirum prima quæque, ut de negotio propoſito occurrunt, illo præſertim ordine quẽ monſtravimus. Hyſterologia enim magnam imperitiam arguit. Ita valde ineptum eſt, gloſſam aut opinionem allegare, ubi textus eſt: aut generale Jus, ubi ſpeciale eſt. Neque veró doctores, cúm illorum auctoritas ratione potiſſimúm nitatur, ut oſtendi, facilé ſine allegatis ſuis allegandi erant, eoque minus, quód nemo facilé omnium ſcripta habere poſſit. Quó pertinent quæ laté deducit Weſenbecius conſilio 2. nu. 4. & ſequente, parte prima.

Cumulaté deinde allegantur pari aut impari ordine.

Pari ordine, ſcilicet ut cúm pleraque genera de eodem negotio ſimilia inveniuntur.

Quod in tanta varietate & coäcervatione

Juris

Juris fieri mirum non eſt: præſertim cúm utrumque Jus illud, Civile & Canonicum, promiſcué allegetur, niſi in caſibus alterutrius omnino propriis, ſicut jam oſtendi.

Impari ordine: nempe ſi paulatim alia acceſſerint, quæ illuſtrent aut confirment: eoque magis, ſi quid dubii Juris eſſe videatur, ut nimirum in illo quaſi conſtituto Jure plurimum accidit.

Atque in his omnib. inquam, ordo hactenus demonſtratus imprimis obſervandus eſt: neq; interim quid temporis ordine antiquius aut recentius ſit, negligendum: ne videlicet tumultuarium quoddam opus & tanquam per Satyram collectum evadat, quod farraginis aut centonum ſimile ſit.

Ubi ſané in tanta varietate non alienum fuerat memoria repetere ea, quæ de Jure confirmando & conciliando ſuprá philoſophati fuimus, & reformationem aliquam optare. Quó faciunt leges Atticæ, quæ apud Demoſthenem extant contra Timocratē, & apud AEſchinem contra Cteſiphontem, de componendis ſcil. legib. quotannis, & conſilium Prætoris Romani de Edicto proponendo ſingulis annis, & conſtitutio Theodoſii Imperatoris quæ in Theodoſiano Codice lib. I. reliqua eſt, de autoritate prudentum determinanda, & denique conſilium Juſtiniani in proœmiis, ne videlicet varia,

contraria, obſoleta, controverſa Jura, ut quæ Rempub. perturbent, tolerentur. Vide omnino Præfationem Viglii Zuichemi ad Inſtitutiones Theophili.

Sed hactenus de loco communi illo, & omnino de Jure & ejus principiis, tum philoſophicis, tum hiſtoricis, nunc ad alterum caput generaliſſimum, nempe de negotiis, ex Jure nimirum illo informatis.

DE

DE OBJECTIS JURIS, ET ITA DE NEGOTIIS.

Jus ipſum de negotio aliquo propoſito inſtituitur.

Negotia ergo, nempe alterum Juris generaliſſimum caput, ſunt ipſa ſubjecta, de quibus, & in quibus, Jus ipſum ex principiis iſtis philoſophicis ac hiſtoricis (de quib. ſuprá) autoritate aliqua Imperii informatur ac conſtituitur. Quæ ita factum, ſpecies facti, caſus, controverſia, & cauſa dici ſolent. Unde cúm de propoſito facto, quid juris ſit, quæritur, ex facto jus oriri dicitur, & in cauſa jus poſitum, l. ſi ex plagis. §. in clivo. ad l. Aquiliam. Quomodo etiam juris & facti quæſtio diſtinguitur, in t. ff. & C. de jur. & facti ignor. Quó ſuperiora etiam pertinent, ſi dubitetur ſcil. An ſint. Sic conſuetudo facti eſſe dicebatur, donec probaretur.

Negotia, inquam, hoc loco ſunt res quælibet jure informatæ, ſeu ratione juris, vel inhærentis, vel quomodolibet accedentis, conſideratæ, quæ videl. tanquam objecta, occupantia jus ipſum occupatū habent. Jus enim, ut pauló anté, in negotiis, vel de negotiis, ex principiis hiſtoricis ac philoſophicis, autoritate aliqua Imperii formatur ſeu informatur: unde negotia ſic non niſi jure affecta, ſeu ex jure, ac de jure informata intelligantur: ſeu negotia iſta ſint perſonæ, ſeu res, ſeu actiones: actiones ſcil. genera-

liſſimé conſideratæ, nimirum ſeu judiciales ſeu extrajudiciales, hoc eſt, in foro & judicio, vel extra forum tractatæ, disputatæ, deciſæ, determinatæ.

Negotia illa ex principiis iſtis & cauſis Juris, ac imprimis ratione Imperii, ſunt divina vel humana, Eccleſiaſtica vel Politica, publica vel privata. Quæ ita attingunt etiam & reſipiunt ſuperiora illa Juris ipſius, principiorum ejus, & Imperii genera; ut cúm de Repub. conſtituenda, vel de Jure ſanciēdo, de Imperii forma nonnihil corrigenda, quæritur.

Negotia generatim loquendo ſpectantur in Rebus nempe Jure affectis, informatis aut informandis. Res enim in Jurisprudentia Romana non ſolúm corpora, ſed & Jura incorporalia ſignificant (unde etiam Res diſtinguuntur in corporales, & incorporales.)

Imó ad Res ita generaliſſimé conſideratas pertinent etiam Acceſſiones, & omnis cauſa, hoc eſt, affectio & conditio rerum, l. rei. cum ſeq. de verb. ſignif.

Res ita generaliſſimé conſideratæ, ſunt aut Res proprié acceptæ, aut quaſi res.

Res proprié acceptæ corpora ſunt, ideſt, eaquę ſenſu cōprehenduntur: quę ſpecies & quantitas alicubi etiam dicuntur.

Res proprié dictæ ſunt vel immobiles (quæ etiam res ſoli & ſolo infixæ dicuntur) vel mobiles: item ſe moventes, aut non moventes.

Deinde res propriè dictæ, tum perſonæ ſunt, tum res aliæ: aliæ, inquam, nempe propriè dictæ & corporales, non tamen perſonæ.

[Prima & ſimplicior negotiorum conſideratio eſt in perſonis & rebus: ſimplicior, inquã: quatenus enim negotia tractantur & disputantur, minus ſimplex, hoc eſt, mixta quædam conſideratio eorundem oritur: de quo mox infrà.]

Perſonæ ſunt homines. In quibus Natura, Sexus, Conditio, Status, Officium, Dignitas, Fama & Exiſtimatio, Poteſtas, Subjectio, & alia ejusmodi ſpectantur. In qua materia caput hominem ac ſtatum ejus ſignificat.

Perſonæ (ut ſuprá in genere de Negotiis dictum) ſunt Eccleſiaſticæ aut Politicæ, ſpirituales aut ſeculares, publicæ aut privatæ.

Res aliæ (nempe propriè dictæ ſeu corporales, non tamen perſonæ) ſunt reliqua corpora. In quibus, ſicut in genere in aliis quoque negotiis, circumſtantiæ locorum, temporum, & aliorum logicorum generum attenduntur. Et hæ res non minus quám perſonæ, divinæ ſunt vel humanæ, Eccleſiaſticæ, & Politicæ, publicæ aut privatæ &c.

Res iſtæ, nempe á perſonis aliæ, vel ſunt in commercio noſtro, vel non ſunt.

Quaſi res, ſunt incorporales, quæ ſpeciali prorſus nomine ac ſignificatione Jura dicũtur; & corporibus videlicet adjuncta ſunt: ac rebus

immobilibus comparantur, argum. Clementinæ Exivi. §. tumque annui, de verb. ſignif.

De negotiis autem ſic diſtinctis, vel ipſiſmet, hoc eſt, non tractatis disputatione aut deciſione aliqua, ſeu judiciali ſeu extrajudiciali; vel tractatis, Jus ipſum generibus & affectionibus ſuis paulò antè diſtinctum, informatur ac conſtituitur.

In iſtis ipſiſmet: hæc Jura illa ſunt, de quibus jam modò dictum: & quæ huc jam referuntur eatenus, quatenus Juris ſpeciem habent, vel Jure informata conſiderantur: alioquin enim homo (exempli gratia) ad Phyſicam pertinet &c.

In iſtis ipſiſmet; nempe aut ſolis, aut affectis.

In ipſis ſolis, ſeu non affectis negotiis poſitum, nempe in perſonis ac rebus: idque tum ſimpliciter, tum comparatè.

In ſolis perſonis ſimpliciter: ſic in Eccleſiaſticis publicis, eſt jus & privilegium patriarchæ, Epiſcopi &c.

In Eccleſiaſticis privatis: ut eſt jus diaconi, clerici.

Deinde in Politicis publicis perſonis: ut eſt Jus Regis vel principis: unde Regalia dicuntur.

In Politicis privatis perſonis: ut eſt jus ſtatus, jus civitatis, libertas, ſervitus.

Deinde comparatè ac relatè inter perſonas relatas: præſertim ratione poteſtatis ac ſubjectionis: ſic in perſonis publicis (nempe ipſiſmet,

ſolis,

ſolis, & comparaté) eſt jus & imperium magiſtratus in ſubjectos: ac viciſſim jus ſubjectorum, quod magiſtratus ipſis debet: quippe defenſionem debet, ac juſtitiæ inter ipſos adminiſtrationem: in privatis perſonis (nempe ipſiſmet, ſolis, & comparaté) ut jus conjugale inter maritum & uxorem, patria poteſtas, tutela, herilis ſeu dominica poteſtas.

Jus in ipſiſmet & ſolis (ſeu non affectis) Rebus ſimpliciter poſitū: ſic in Eccleſiaſticis publicis, jus & forma Eccleſiæ, jus Excōmunicationis: In Eccleſiaſticis privatis, jus πτωχοδοχείου, cujusmodi jus pia cauſa dicitur. Deinde in politicis publicis, jus & forma Imperii Romani, jus belli: in Politicis Privatis, jus retentionis, hypothecæ, προτιμήσεως ſeu Prælationis, Luitionis, item Iter, Actus, Uſusfructus: cujusmodi Jus in re dici ſolet: item poſſeſſio, dominium, obligatio, hæreditas, & alia, de quibus ſuo loco.

Deinde comparaté, ut in Eccleſiaſticis Publicis, nempe ſolis, ſed comparaté ſpectatis Rebus, jus & imperium in omnes Eccleſias, quale ſibi vendicat Pontifex Romanus: in Eccleſiaſticis privatis, Jus Patronatus Eccleſiaſticum. Deinde in Politicis Publicis, jus Principis in reb. ac bonis ſubjecti: in Politicis Privatis, jus patris in reb. filii, jus domini in reb. ſervi, jus Patroni in reb. liberti.

Et hæc de ſolis negotiis.

In affectis porró negotiis (ubi quaſi res, hoc eſt Jura, admiſcentur reb. proprié ac generatim dictis) nempe ratione obligationis, poſſeſſionis, aut dominii affectis. Quæ ita interim aliis negotiis iſtis, nempe perſonis & reb. accidunt: de quib. paſſim controverſiæ infinitæ. Unde judicia & actiones, atque ita, generaliús loquendo, Negotia judicialiter vel extrajudicialiter tractanda, oriuntur.

Sic ergo denique ſuperſunt Negotia Tractata, nempe disputatione ac deciſione aliqua tractata, vel tractanda; ſeu in foro id fiat, ſeu extra forum.

In his ergo omnibus hactenus dictis ac methodicé digeſtis Negotiis (videlicet tum ipſismet per ſe, & non Tractatis, tum Tractatis) Jus aliquod, vel aliqua Juris ſuprá enarrata affectio, genúsve aut ſpecies, ſtatuitur atq; informatur.

τέλος.

DE

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ,

DE OBJECTIS JURISPRUDENTIÆ, NEMPE DE JURE, AC NEGOTIIS, IN QUIBUS Jus ipſum informatur.

TOTA Juriſprudentia Civilis Romana, nempe Juſtinianea (ſicut & alia quævis) conſtat præceptis, legib. & ſanctionib. tum de Jure ipſo, tum de Negotiis, in quibus hoc Jus informatur.

Jus eſt quod æquum bonum; quod inter homines eſſe aut fieri par eſt.

Hoc Jus ex principiis philoſophicis (præſertim Politicis) ac hiſtoricis, tanquam ex primis ſeminib. exortum ac profectum, diſtinguitur variis generib. Juris, idque ratione Reip.

Quo modo hoc Civile Romanum Juſtinianeum, ex philoſophicis Naturæ & Opinionis principiis primitus profectū, diſtinguitur, præſertim ratione Reip. Romanæ, ejus imprimis, quæ Juſtiniano imperante fuit; diſtinguitur, inquam, in ſcriptum, & non ſcriptum.

Scriptum occupatur in antiquioris Reip. Romanæ, quæ ſcilicet popularis fuit, Legibus, Senatusconſultis, Edictis Prætorum & aliorum magiſtratuum, Plebiſcitis, & Jureconſultorum Reſponſis; de quib. omnib. in ff. item in Principum ſeu Imperatorum Conſtitutionibus; de

quib. in C.& N. Sic enim antiquius Jus illud, quatenus emendatũ non eſt, ad poſteros translatitium intelligitur.

Ubi ſic Jus Prætorium ſeu Honorarium aliquando civili iſti antiquiori, præſertim ex 12. tabul. orto, opponitur.

Non ſcriptum deinde Jus in morib. nempe præſentibbus poſitum eſt.

Atq; hinc deinceps ſimiliter iſtud in morib. ſitũ, translatitium jus eſt, in hoc prẹſens Chriſtiano-Romanum Imperium. Quó tamen acceſſit poſteá Jus Pontificale ſeu Canonicum: itemque Jus feudorum; & ſi quod aliud paulatim ordinatum ratione præſentis Reip. ut ſunt Receſſus Imperii, item ordinationes Politiæ, & Cameræ.

Hactenus de Jure.

Negotia deinceps vel ipſamet, videlicet extra tractationem conſiderata, vel tractata ſunt, nempe judicialiter, vel extrajudicialiter disputata: in quib. negotiis Jus iſtud ſic informatur ex principiis ſuprá dictis, ſed autoritate ſcil. ejus, qui Imperium habet.

Negotia circumſtantiis perſonarum, locorum &c. variantur. Ubi interim, quid quemadmodum acquiratur, conſervetur, amittatur, alienetur, transferatur, videndum.

Ubi ſic de dominio ac poſſeſſione, alióve ſimili Jure (ut obligatione, actione, exceptione) quod haberi vel teneri dicitur. Quod

Quod Jus publicum, aut privatum eſt.

Ipſa, inquam, id eſt non tractata vel diſputata, negotia in Perſonis & Rebus ſpectantur.

Perſonarum Jus in conditione & poteſtate potiſſimúm conſiſtit. Sic conditio liberorum, hominum & ſervorū eſt, item Manumiſſorum, id eſt Libertorum.

Poteſtas patris in liberos: Domini in Servos: Tutoris in Pupillos eſt.

Res Divinæ aut Humanæ ſunt: Publicæ aut Privatæ: in Patrimonio, & extra Patrimonium ſeu commercium: Corporales, & Incorporales; cujusmodi Jura dicuntur: Mobiles aut Immobiles.

Quarum vel ſingularum, vel univerſarum, quas habet aliquis, Dominium acquiritur, Jure ſcil. gentium, aut civili: & Poſſeſſio interim acquiritur Apprehenſione.

Singularum, Jure gentium, ut Occupatione, Traditione.

Jure Civili, ut Præſcriptione, Donatione: Quomodo etiam Legatū & Fideicommiſſum ſingulare acquiritur.

Univerſarum, ut Succeſſione defuncti, aut alterius, nempe vivi.

Defuncti, Jure Civili, aut Prætorio.

Jure Civili, ex Teſtamento, vel ab Inteſtato.

Item ex Addictione bonorum.

Jure Prætorio, ex bonorum poſſeſſione.

Alterius, ſcil. vivi, ex Arrogatione: item ex Ceſſione bonorum.

Atque ſic Dominium, itemque Poſſeſſio acquiritur; aliud autem his tamen ſimile Jus, Obligatio, item Actio & Exceptio fuerint.

Obligatio, præſertim Contractus aut Delicti eſt.

Actio ratione Dominii, Poſſeſſionis, Obligationis habetur.

Deinde Negotia Tractata ſpectantur in Diſputatione & Deciſione: & ſic in Actione & Exceptione; & denique Sententia: quó tandem accedit Executio.

FINIS.

DE

DE PRIVILEGIIS ET HONORIBUS STUDIOſorum ac Profeſſorum; á ſummis quondam Imperatoribus liberaliſſimé conceſſis;

ORATIO.

ORATIO
DE PRIVILEGIIS
ET HONORIBUS STUDIOSO-rum ac Profeſſorum &c. habita 21. Frebr. anno 98. in ſolenni Heidelbergenſis Academiæ conventũ á Johanne Calvino.

CUM ſanctione juſtiſſima, & more laudatiſſimo: Magnifice D. Rector, Generoſe D. Baro, Reverendi, Clariſſimi, & Ornatiſſimi viri, collegæ obſervandi: hoſpites exoptatiſſimi: juvenes lectiſſimi:

Cúm (inquam) ſanctione juſtiſſima & more laudatiſſimo ſapientiſſimorum hominum ac prudentiſſimarum Rerumpublicarum auſpiciis, jam pridem in ſcholis & Academiis receptum videamus, ut qui prçclaros in linguarum, morum, artium, ac doctrinarum liberalium ſtudiis progreſſus fecerunt, hi publico literatæ virtutis, ac bene moratæ eruditionis teſtimonio ſolenniter exornentur, atq; auguſtos auguſtorum honorum titulos velut ingenuitatis ac probitatis, diligentiæ, ſtudii, ac laboris ſui præmia, & ornamenta conſequantur. Cumq; hoc Academiarum inſtitutũ, ceu honeſtiſſimum,

Imperatores,& Principes Illuſtriſſimi,jam olim autoritate ſua confirmarint, ac privilegiis præmiisque ampliſſimis condecorârint, quemadmodum conſtitutiones & leges ea de re ab illis ſancitæ teſtantur: quibus & poteſtatem faciunt ſcholis univerſalibus, hoc eſt Academiis, honores ejusmodi liberaliter unicuique digno conferendi: Propterea nos quoque (Deo benedicente votis noſtris) tam laudabile inſtitutum hodierna die lætioribus animis gratulabundi uſurpabimus &c.

Quando ergo ſex illi honeſtiſſimi ac literatiſſimi juvenes, quos iſthic in medio ſeorſim ad cathedras iſtas locatos ſpectatis, qui Academicos,& ſummos quidem honores petunt, preclarum induſtriæ & navatæ in ſtudiis liberalibus operæ ſpecimen, eximiosque progreſſus, in Examine tum privato tum publico, prætereà tum disputando tum declamando, ediderunt; ac proinde digniſſimi judicati fuerunt, qui primùm Licentiati, poſtmodum & Doctores, publicè ac ſolenniter renuncientur: Nil reſtare videtur, niſi ut petiti honores, velut diligentiæ autoramentum & virtutis, modeſtiæ, atque eruditionis publicum teſtimonium optimo ipſorum jure ac merito, ſolenni veterum ritu ipſis tribuantur.

Quandoquidem veró, quos honorifica ſua præſentia nobis & honoribus noſtris ſpectato-

res

res, hoſpites ac teſtes adeſſe exoptamus, nondum omnes acceſſiſſe animadvertimus: ex iis autem qui acceſſerunt, nonnullos, pleniores iſtiusmodi honorum ac promotionum rationes ex Ethicarum ac Politicarum diſciplinarum, quin etiam ex Imperatoriarum ſanctionum fundamentis deſiderare exiſtimamus: idcirco ſolenni inaugurationi ac renunciationi noſtræ paucula quædam huc ſpectantia præmittemus: primò quidem in genere, quód juſtum ſit honore dignos, honorem ſibi convenientem legitimé appetere: ac viciſſim juſtum; honore dignos legitimé ac liberaliter honorari, id eſt, honores ipſis debitos, præſertim legitimé petitos, rité tribui. Deinde in ſpecie, quinam ſint honores Academici, quæq; præcipua Academicorum præmia, beneficia, item & privilegia Jure Civili quondam ab Imperatoribus conceſſa: quęnam inquam præmia, & quinam honores Academici quos ipſi legitimé petere auſint; & qui ipſis liberaliter tribui atque conferri debeant. Atque ita priús nobis hîc generaliſſimé diſpiciendum videtis, Auditores, quid Honos ſit, quæque ejus genera: mox quinam honore digni, & quonam honoris genere.

Honor generatim & huic loco convenienter acceptus, eſt honeſtum alicujus promeritum, præmium aut ornamentum: á qua equidem deſcriptione nihil abludit Seneca Epiſtola

103. libri 17. cæterique paſſim autores claſſici. Laudem verò & gloriam honos ſic deſcriptus ἐν πλάτει ſub ſe complectitur: neque opus eſt illa tria cum Ariſtotele 1. Nicomachicorum 12, & 1. Magnorumq; Ethicorum 2. item 1. Rhetoricorum 5. curioſiús nunc diſtinguere.

Ariſtoteli propriè ac ſuccinctè definitus Honor, eſt virtutis præmium, 4. Ethicorum, 3. & 4. capite, & 5. Ethicorum ult. capite, ſicut & Tullio in Bruto: Platoni autē, vel potius Speuſippo, in libro definitionum, eſt præmium actionum à virtute profectarum. Utrumque iſtud complectitur prior illa circumſcriptio noſtra: qua dicebatur, eſſe honeſtum alicujus promeritum, præmium aut ornamentum.

Honor iſte vel ſimplex eſt, vel conjunctus. Simplex, eſt aut internus, cúm quis corde ſeu cogitatione alium honorat; aut externus, cúm actione aut geſtu externo. Conjunctus, cúm utroque modo.

Deinde honos; præſertim externus; aut verus eſt, qui juſtè; aut falſus, qui injuſtè defertur: item aut ſerius, aut fictus & ſimulatus. Tertiò aut publicus aut privatus; item aut magnus aut parvus.

Denique honores alii ſacri, alii profani: alii Eccleſiaſtici, alii politici: alii Imperioſi, alii non Imperioſi: alii militares, alii civiles; alii ſcholaſtici, ſeu Philoſophici & Academici, alii non ſcholaſtici.

Et

Et hactenus ſuccinctè,quid honos ſit, quæque præcipua ejus genera.

Porró honore digni ſunt, qui virtuti & actionibus virtutis, ſeu rebus ſecundúm virtutem præclaré gerendis dediti ſunt. Virtuti ergo honos verus debetur, non divitiis aut opulentiæ, niſi his ipſis virtus juncta ſit & copulata.

Quamobrem φορτικώτατοι & ἀνδραποδώδεις (ut philoſophus 1. Nicomachicorum 5. loquitur) meritó perhibentur, qui honori lucrum anteferunt,6. Politicorum 4. Virtus divina ſeu divinæ, ſecundúm poëtam, particula auræ, eſt;honos rei divinæ præmium eſt. Deinde Actionibus bonis á virtute manantibus, proinde & bonis bonorum moribus, honos debetur. Denique & utrarumque iſtarum,hoc eſt, virtutis & actionum ejus, cultoribus debetur;adeoque ſolis viris bonis, tanquam ſolis honore dignis debetur: non indignis, non improbis,non diſtortis ac malé moratis:Ariſtoteles 4.Ethicorum 3. & 3.Politicorum 8.capite.Improbi namque veri honoris neutiquam ſunt participes:qui enim virtute præditus, aut ejus ſaltem ſtudioſus non eſt:is præmio virtutis quî dignus eſſe poterit?

Atqui honores (objecerit quis)mutant mores;ac viris bonis illi ſæpé numeró plus obſunt quám proſunt. minimé veró,inquam: ſed improbis exhibiti, in eorum ruinam commutantur,ut ait Gregorius Magnus, & honores igna-

vis perniciem multam adferunt, Divo Chryſoſtomo homil. 41. in Matth. teſte: Bonorum veró mores honor verus non immutat: quinimó meliores reddit, & bonos ad res præclaré gerendas alacriores & aptiores. Qui namque rectis ſtudiis & actionibus ſuis honorem tribui videt, rectiús in dies ſingulos agit; qui veró aſſentatione, ſimulatione, aut aliis pravis rationibus honorem, vel (ut veriús loquar) honoris inſignia conſecutus eſt, in dies fit deterior. Verus igitur honor, qui virtuti tribuitur, virtutem auget; falſus, qui vitiis acquiritur, vitia reddit majora; Tullius in Bruto, Ariſtot. 2. Politic. 5. De improbis ergo verum illud Auguſtini eſt in Pſalm. 106. Quantó plus honorantur, tanto plus periclitantur.

Quanquam autem honor virtutis prẹmium recté perhibetur: tamen dignitati ac præſtantiæ virtutis præſertim excellentis, non ſatis reſpondet: ſed vir bonus, præſertim excellenti virtute præditus, hoc præmio contentus acquieſcit, non tanquam ſatis idoneo, verúm quód ſciat majus ſibi tribui non poſſe, Philoſophus 4. Ethicor. 3. Et eleganter Boëtius lib. 2. de conſolatione, Virtutibus non accedit honor ex dignitate, ſed dignitatibus ex virtute.

Verúm enim cúm virtutes diverſi generis exiſtant, aliæ nimirum Ethicæ ſpeciatim dictæ, aliæ veró dianoëticæ, ut ſapientia inprimis & pruden-

prudentia: quæſiveris fortaſſe, an utrarumq; præmium ſit honos? Utrarumq; profectó. Ideóque Græci, varia certamina & panegyreis inſtituentes, cúm nullum ſapientiæ vel prudentiæ, aut ulli pené virtuti, præterquam corporeę, pręmia proponere conſueſſent: meritó ab Iſocrate reprehenſi ſunt, teſte Ariſtotele 3. Rhetoricorum 14. capite.

Tametſi veró ipſe quoque Ariſtoteles problemate 11. ſect. 31. Gręculos ſuos pluribus rationibus excuſat: imó laudem, proinde & honorem virtuti dianoëticæ convenire negat, 1. magnorum Ethic. 5. cap. Tamen illud recté poſtea retractavit 1. Ethicor. Nicomach. c. ult. ac nominatim ſapientiam & contemplativas ſcientias 1. metaphyſic. c. 1. & 1. de anima c. 1. collaudat.

Quapropter literati quoque & ſapientes viri dianoëticis quippe virtutibus inſtructi, in ſuo genere, loco & ordine, non minus quám practicis virtutibus præditi, laude & honore digni ſunt: Illi Academicis, hi civilibus & practicis: ſicut alii eccleſiaſticis, alii militaribus &c.

Atque hæc quidem ſunt, quæ priús nobis velut ἐν παρόδῳ diſpicienda eſſe diximus. Nunc principales, ſi lubet, quæſtiones, breviter perſequamur. Ac primó quidem: cúm honor & in bonis numeretur, & bonorum externorũ maximum perhibeatur Ariſtoteli 4. Ethic. 3: juſtum ſané fuerit, honore dignos honorem ſibi con-

venientem legitimé appetere: ac viciſſim juſtû; honore dignos legitimé ac liberaliter honorari: id eſt, honores ipſis debitos, præſertim legitimé petitos, rité tribui: iis præcipué qui vitæ politicæ, h.e. ſocietati humanæ, non autem ſolitudini monaſticæ, operam navaturi ſunt. Philoſophus 1. Ethic. 5. & Plutarch. in præceptis politic. Unde & honorum legitimorum contemptores haud abs re carpuntur 4. Ethic. 3. & 4. Eleganter admodum Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. potiorem probis dignitatem & honorem, ait, ſine vita eſſe debere, quám vitam ſine dignitate & honore. Deinde cúm & cauſa honoris bona ſit, & effectus itidem boni: ipſum certé honorem quoque in bonis & expetendis eſſe, quis dubitaverit? Præmium virtutis honos eſt: Itaque cauſa honoris & laudis ſolidæ virtus eſt: Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recté gloriamur, & eleganter 3. de natur. Deor. Cicero. Proinde ſi virtus expetenda; & honor expetendus: dummodo is verus ac legitimus ſit. Jam veró ſi effecta honoris ſpectes, tanta ſané honoris legitimi vis eſt, ut divinum is á Platone bonum perhibeatur, quo ſc. vel numen ipſum delectetur, & quidquid numinis non diſſimile: tantum ſolidæ gloriæ robur ac firmamentum eſt, ut qui ſerio ejus deſiderio (ſi Plutarcho autori graviſſimo credimus) tanguntur, iidem & virtutis tangantur; adeoque pravi aut improbi

eſſe

eſſe non queant. Etenim honos ad laudatiſſima quæq; , virtutis & honoris veri cultores mirificé extimulat. Honos alit artes; omneſque ad ſtudia incenduntur gloriâ; ut pulcerrimé 1. Tuſcul. Tullius: & Ovidius 5. Triſtium:

——Non parvas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Quocirca quantopere nobis curæ eſt, ut boni in republica cives degant; ut artes ac diſciplinæ quib. Reſp. continetur, floreant; ut ſtudia liberalia eorumque cultores clareſcant: tantopere & illud pariter nobis curæ eſſe debet, ut honores non negligantur, ſed ſingulis rité diſtribuantur: itemq; ut ii, quibus diſtributi fuerint, rité iis utantur. Ubi prima tamen, & ea neutiquam ſpernenda, cautio adhiberi debet, nempe ut verum, non fictũ, & ex vera non fucata cauſa manantem: altera, ut ſibi convenientẽ quisq; appetat honorem: tertia, ut legitimo fine ac modo, loco ac tempore appetat, eoque utatur: quarta, ut non á quibuslibet, ſed ab iis, á quibus decet, petat.

Cavendum ergo eſt, ne ſpecie recti uná cum vulgo decipiamur, néve honoris inſignia (quæ multi ſæpius ſine virtute ſunt aſſecuti) pro ſolido honore amplectamur, & ut 3. Tuſc. Tullius ait, ne adumbratam gloriæ imaginem pro expreſſæ virtutis effigie, ſolidaque gloria captemus. Proinde ex vera juſtaque cauſa, hoc eſt ex

virtute, qua ſola verus honos acquiritur, & cui ſoli honos debetur, hic idem quærendus eſt. Unde Philoſophus 4. Ethic. 3. elatos ac ſtultos nuncupat eos, qui veſtitu, geſtu, aliisq; ejusdem generis ornamentis honorem captant. Verus .n. honos, cum virtute vera arctiſſimé cohæret: quam conjunctionem ac neceſſitudinem illa quondam conjunctio templorum Honoris ac Virtutis apud veteres Romanos exprimere debuit: quæ nimirũ templa ſitu ſuo ita conjuncta erant, (Divo Auguſtino de civitate Dei, Plutarcho, Livio, Cicerone, teſtibus) ut non aliunde ad ædes Honoris pateret aditus, quám per templum Virtutis: quam tamen duorũ á Marcello priús extructorum templorũ conjunctionem Cajus Marius, devictis Cimbris, prorſus ad unitatem traduxit, hoc eſt, unum honori ac virtuti templũ conſecravit, ut Plutarchus, Feſtus ac Vitruvius meminerunt. Et hæc de prima cautione: Altera eſt, ut eos honores appetamus, qui nobis conveniunt, & quibus digni, quibusq; pares ſumus: ne videlicet noſtra nobis φιλαυτία imponat, & ne majores quám mereantur, néve alienos honores ambiamus: non enim omnes cujusvis honoris æqué capaces ſunt. Fuerit aliquis bonus miles: non propterea bonus dux. Et aliud eſt ſecundúm Ariſtotelẽ in Ethicis Nicomach. aliquid homini ſimpliciter & in genere convenire aut bonum eſſe: aliud certæ alicui perſonæ bonum.

Hono-

Honores itaque pro ſingulorum meritis tribui debent, ac pro dignitatis gradibus, proportione nimirum Geometrica, non Arithmetica, κατ' ἀξίαν, οὐ κατ' ἀριθμόν, 4. Ethicor. 3. & 2. Polit. 5. AEqualis autem honorum diſtributio inter inæquales facta, discordias ac ſeditiones parit, Ariſt. 2 Politicor. c. 5 teſte.

Cæterúm in fine quoque adhibenda cautio eſt; quippe ut honor non per ſe optetur aut petatur, ſed quatenus per eum magis idonei reddimur, & exſuſcitamur ad virtutem conſectandam, ad res preclaré gerendas, ad munia præclara obeunda, ad authoritatem nobis adverſus improbos, & adverſarios conciliandam, ad majorem occaſionem & facultatem de Republica, deq; civibus & amicis noſtris, adeóque de viris bonis, bene merendi obtinendam. Honorem autem per ſe appetunt ambitioſi, non prudentes ac viri boni: Philoſophus Ethicor. 1. c. 5. & lib. 5. c. 8. Cicero lib. 15. Epiſt. 4.

Sed & modus in honore tenendus eſt: quippe ne immodico ejus deſiderio angamur, ſed ut mediocres honores modeſté petamus; & eos adepti, moderaté utamur ac lætemur. Sine cauſa denegatos, æquo animo feramus, Philoſophus 4. Ethicor. 3. Et eleganter Marcus Tullius lib. 3. de Republ. virtus honorem exigit (ait) non acerbé tamen, ſed ſi ingrati, invidi aut inimici ſuis virtutem præmiis ſpoliant, ne illa ſeſe

tamen multis ſolatiis oblectat, & inprimis ſuo ipſius decore ſe ipſam ſuſtentat. Mediocres ſané honores, ut olim Theopompus Pyliis ſuis reſpondit, ipſum tempus adauget: ſed nimios & immoderatos ipſum tempus abolet. Unde ſcité in politicis ſuis præceptis Plutarchus: honeſtiſſimus ac firmiſſimus honoris cuſtos, mediocritas eſt (ait) ac ſimplicitas: immoderati autem ac nimis ampli honores, perinde atq; immoderatæ & inconcinnæ ſtatuæ citó ſubvertuntur.

Loci quoq;, temporis, ac perſonarum, in honore perſequendo ratio haberi debet: de quo pulcré Philoſophus 3. Politic. 5. Merita enim virtutis atq; honoris ſuo quæq; loco ac tempore ponderanda ſunt, ac rité diſtribuenda: ſic nimirum, ut in Senatu & Comitiis, aliisq; locis & actionibus publicis, pater filio magiſtratum gerenti: contrá in locis & actionibus privatis, filius, quantumvis magiſtratum gerens, patri cedat: qua de re inſignis Tauri Philoſophi apud Gell. lib. 2. Noct. Attic. c. 2. diſputatio extat. Cúm enim Athenas ad Taurum philoſophum adveniſſet præſes Cretenſis, filius, & ejus pater: atque inter hos duos de ſeſſione queſtio eſſet, propterea quód filius magiſtratum gereret: ibi Taurus cum ſumma honorum & officiorum perpenſatione, disſerit, in publicis locis, muneribus & actionibus, patrum jura, cum filiorum, qui in magiſtratibus ſunt, poteſtatibus collata, interquieſcere

quieſcere paulum & connivere: ſed cúm extra Remp in re vitaque domeſtica ſedeatur, ambuletur, vel in convivio quoque familiari discumbatur: tum inter filium magiſtratum, ac patrem privatum, publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri ac vigere. Elegans ejusdem Gellii eodem loco exemplū eſt. Conſuli Q. Fabio Maximo, filio, pater proconſul obviam equo ſedens venit: neque deſcendit, eó quód pater erat: neque lictores id jubere auſi fuerunt. Sed ubi pater juxtá venit, ibi tum Conſul filius lictori ait: deſcendere jube: & juſſit lictor. Hîc tum Fabius pater imperio lubens paret, ac filium, Fabium Maximum, collaudat, eó quód imperium, non ſuum, ſed populi Romani retinere voluerit.

Poſtrema hujus materiæ & argumenti cautio eſt: Ut ne honorem ab imperito vulgo, vel paſſim á quibuscunque, ſed á viris bonis, laudatis, ac prudentibus, adeoque ad quos honorum collatio ſpectat: non ab improbis, ignavis ac ſtupidis, petamus. Hi enim nec quid rectum, nec quid recto contrarium ſit, ſatis intelligunt, ut pulcré Plato in Theęteto, Ariſtoteles 6. Ethic. c. pen. Seneca epiſt. 103. & omninò Tullius 3. Tuſcul. cúm famam popularem inconſideratam, ac vitiorum laudatricem, honeſtatis ſimulatione veram ipſius honeſtatis formam corrumpere ait. Solida ergo laus ab iis proficiſci debet, qui

ipſimet in vera laude vixerunt; ſecundúm illud Hectoris apud Nævium, Laudari á laudatîs; non á mala improborum hominum prole, non ab imperita plebe.

Atque hæc ſatis de honoribus in genere.

Nunc tandem (ſed ſuccinctè admodum) de Academicis ac Philoſophicis in ſpecie.

Tanta autem Philoſophiæ ac liberalium ſtudiorum laus eſt, tantusque honos, & elogia tanta, ut Principes quoque & Imperatores ſummi ab iis alieni eſſe neutiquam voluerint. Atque hinc (ut parciſſimé de eo dicam) Divus Marcus Imperator, Princeps prudentiſſimus, ac Philoſophiæ plenus nuncupatur, l. 11. C. de his quib. ut indig. & φιλοσοφικώτατος, id eſt, ſummus philoſophus, l. 11. in fin. C. de repud. Theodoſius veró ac Valentinianus Imp. in l. 5. C. de advoc. di verſ. judicior. & l. 3. de offic. magiſtr. offic. ſũmam ſuam erga literarum ſtudia, eorumq; cultores, reverentiã, affectionem, favorem, ac devotionem diſerté profitentur. Sicut Arcadius quoque Imperator in d. l. 3. item Juſtinus & Juſtinianus in l. 5. d. tit. C. de offic. magiſt. officior. Neque immeritó ſané his & aliis Impp. (ut jam nunc audiemus) Philoſophiæ ac præſertim Politicæ ſtudium tantopere cordi fuit. Enimvero Philoſophia inventum Dei Opt. Max. eſt omnium bonarum & laudatarum artium mater ac procreatrix; res omnino frugifera & fructuoſa,

ut

ut pulcré M. Tullius 1. & 5. Tuſcul. 1. de orator. ac 3. offic. Philoſophia eſt res religioſa, ut ſcité JCtus l. 1. §. 4. ff. de extraord. cognit. Philoſophia (præſertim Politica) eſt res ſanctiſſima. d. l. 1. §. 5. res laudatiſſima, honoris plena & neceſſaria. l. 4. C. de advoc. diverſ. judicior. l. 6. fin. C. de poſtul. Et cúm virtutum præmia, cultoribus earundem tribuenda ſint, l. 4. in pr. C. de ſtatuis, l. 1. C. pro quibus cauſ. ſervi: virtutum autem præmia non tantúm honores ſint, pro laudibus accepti, ſed varii quoque inſuper Academicarum promotionum gradus, variaque jura, beneficia, & privilegia, dona, immunitates, dignitates, & officia: propterea hæc univerſa & ſingula legibus & conſtitutionibus Impp. peculiaribus, peculiari favore, gratia, & amore, Academicis, hoc eſt, ingenuarum artium, legum ac virtutum ſtudioſis, magiſtris, ac profeſſoribus liberaliſſimé conceſſa & confirmata fuere; ut inter alia ex proœmio Inſtit. Imperatoriarum, §. ult. pateſcit. Hinc immunitatem habent Magiſtri artiumque & Juris ſtudioſi ac profeſſores á tutela & cura, á muneribus & oneribus civilibus, mechanicis militaribus ac provincialibus. l. 1. §. 1. de extraord. cognit, & l. 6. á §. 1. ad 12. uſq;, ubi Cujac. & Gothofr. ff. de excuſat. Et Conſtantinus Imp. l. 6. item Honorius ac Theodoſius Impp. l. ult. C. de profeſſorib. Profeſſores literarum (ajunt) unâ cum uxoribus ac liberis, quin-

etiam rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident, ab omnibus muneribus, ſeu civilibus, ſeu publicis, immunes eſſe præcipimus: ut nec hoſpites aut milites recipere, nec ad judicium deduci vel exhiberi, nec injuriam pati debeant: adeó quidem, ut ſi quis eos vexaverit, pœna gravi plectendus ſit.

Hinc ſtudioſo diſciplinarũ liberalium quanquã indulgetur, ut agere poſſit, licet actio alioqui non ipſi, ſed patri competat, l. cum filiusfam. 17. ubi Loriot. eleganter ff. de reb. cred. Hinc ſumptus, quos pater filio, etiam emancipato, ſtudiorum cauſa ſubminiſtravit, debita ſeu paterna pietate ductus: hi (inquam) ſumptus, bene ſcilicet collocati, in portionẽ illam, quæ ex patris defuncti bonis ad filium iſtum pertinet, computari minimé debent, l. quæ pater filio emancipato 50. ff. fam. erciſc. Imó filius quo ad expenſas ſtudiorum bene collocatas, hęreditati paternæ renuncians, ſibi non præjudicat, niſi forté cúm juramento renunciaverit, Bald ad l. 3. C. de collation.

Huc imprimis pertinent inſignia illa Friderici primi Imperatoris privilegia, bonarum literarum ſtudioſis ac profeſſoribus in Auth. habita, C. ne filius pro patre concefſa, & intra quinquennium quidem abſentibus etiam ſtudioſis conceſſa: Ubi Imperator diſertiſſimé profitetur, licet omnes boni laudem ac protectionem mereantur,

reantur, ingenuarum tamen artium ſtudioſos ac profeſſores, ut puta quorum ſcientiâ mundus illuminatur,& vita tum Deo, tum Principi, ejus miniſtro,ſubjectorum ad obedientiam informatur, ſpecialiter ſibi tanquam Imperatori curæ eſſe, ac peculiari dilectione & protectione ſua & ſucceſſorum, ab omni damno & injuria defendendos. Deinde privilegii loco ipſis peculiariter præ reliquis hominum generibus concedit,tutó,ſecuré, ac ſine periculo,& venire & habitare;Imo ut Dd. interpretantur, & adire & abire, & accedere & recedere: neque hoc ipſis tantúm, ſed parentibus quoque, fratribus ac ſororibus ipſos in Academiis ſtudiorum ergó degentes inviſentibus: imó & nunciis ac famulis & pedellis ipſorum.

Tertió privilegii quoque loco ipſis peculiariter concedit,ut á vectigalibus,portoriis,& aliis oneribus penitus exempti ſint:adeó quidem,ut nec pro ſua perſona, nec pro libris, aut aliis rebus ſuis, quas ſcilicet nō habeant venales,l.5.C. de vectigal. & commiſſ. vectigal ullum exolvere debeant. Quod ſi veró illud publicanus ab iis exigat, infamem eum Dd. ex hac conſtitutione fieri demonſtrant, & inſuper ad reſtitutionem quadrupli teneri.

Quartó & hoc privilegii loco peculiariter ipſis concedit Imperator.Ut ne ullo pignorationis aut repreſſaliarum jure, moribus ac legibus

municipalibus introducto, vel perſonæ, vel res ipſorum, teneantur aut capiantur: idque nulla in contrarium conſuetudine admittenda.

Quintó á quovis damno & injuria peculiariter præ cunctis aliis ipſos defenſos cupit ac ſancit Imperator: idque ſub condemnatione in quadruplum reſtituendum, & inſuper ſub infamiæ ipſo jure irrogandæ pœna, ei, qui injuriam intulerit, conſtituta: qua de re confer Juſtinian. in Conſtit. ad Anteceſſor. & l. 5. circa fin. C. de offic. magiſt. offic. Imó veró Dd. ex dicta Auth. habita, colligunt, eũ, qui injurioſum quiddam admittit in domũ Studioſi vel Doctoris, ſacrilegium cõmittere, ac ſacrilegi inſtar puniri debere: vide Rebuff. de privileg. ſtudioſ. privileg. 105. Quin etiã ex jam d. conſtit. non ii ſolúm puniuntur, qui injuriam intulerunt, ſed magiſtratus quoq; vel judices negligentes, qui injuriam illatam illis, non ulciſcuntur, nec ſerió puniunt eos, á quibus ſtudioſi vel profeſſoris injuria affecti ſunt: Etiamſi magiſtratus ac judices non ex dolo, ſed ex negligentia iſtud facere omiſerint. Quantó igitur magis ex conſtitutione iſta puniendi magiſtratus ac judices erunt, ſi ipſimet, qui protegere ac vindicare ſtudioſos debent, injuriam eis inferant: nempe, ut Dd. placet, tum pœna quadrupli, tum privatione dignitatis & infamia: idque non tantúm, ſi ipſimet injurias intulerint, aut eas, de quibus conſtat, non ſerió vindi-

vindicârint: ſed etiam ſi non ex officio, (etiamſi ſtudioſus injuſté læſus non conqueratur) in injurias eas, de quarum autore non conſtat, inquiſiverint; ſi modó res ad ipſos quoquo modo perlata ſit.

Sextó peculiare quoque, privilegii loco, forum ac jurisdictionem, adeoque peculiares judices ipſis tribuit Imperator: ita quidem, ut exempti ſint quavis alia cujuscunque magiſtratus aut judicis, præterquam præceptoris, Domini, ac Rectoris ſui, jurisdictione & foro. Si quis veró ad alium judicem ipſos (niſi ſponte in eum conſentiant, aut privilegio renuncient) trahere tentaverit, is pro tali conamine (ut Imperator loquitur) cauſa cadet, etiamſi juſtiſſima fuerit, adde l. 9. C. de cuſtod. reor. l. 1. ff. de judic. l. quamvis 11. de in jus vocand. l. pen. C. de pact. Et cúm regulariter nemo poſſit á judice inferiore provocare ad Principem aut Cæſarem omiſſis judicibus mediis, l. imperatores 21. in pr. & §. 1. ff. de appell. ſtudioſis tamen ac literatis per d. Auth. habita, immediaté ad Principem á Rectore appellare permittitur, idque propter ſpecialem illam protectionem, quám Imperator iſthic pollicetur, ut Bald. & Dd. ad unum omnes colligunt.

Atque hæc quidem ſunt ſingularia illa Friderici Imperatoris privilegia, Studioſis ac Profeſſoribus conceſſa. Quæ quód ipſis non ubi-